DISSERTATIO
PHISIOLOGICO-MECHANICA,
DE NATURALI
CATAMÆNIORUM FLUXU.

Quam, ad primam Apollinarem Lauream conſequendam, in Auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis Fano, propugnabit ab horâ octavâ ad Meridiem, Die Menſis Aprilis, Anni 1731. JOSEPHUS DEMOL Bruxellenſis, apud Belgas, Artium Liberalium Magiſter, & jam dudum Medicinæ Studioſus.

PRÆSIDE,

R. D. D. GERARDO FITZGERALD, Regis Conſiliario & Medico, necnon in Almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio digniſſimo.

MONSPELII;
Apud JOANNEM MARTEL, Comitiorum Occitaniæ & Univerſitatis, Typographum. 1731.

par monsieur fournier d. m

R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illuſtriſſimus D. D. Petrus CHIRAC, Regi à Secretioribus Conſiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Antonius Deidier, *Sancti Michaëli Eques.*
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol.
R. D. Henricus Haguenot.
R. D. Jacobus Lazerme.
R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Hugo Gourraigne.
M. Nicolaüs Fournier.
M. Petrus Guiſard.
M. Antonius Ferren.
M. Andreas Cantwel.

martin medecin à chatellerault



JOANNI V.
REGI
PORTUGALLIÆ
ET
ALGARBIORUM, &c.

TEmerarius fortaſſe videar, REX POTEN-

TISSIME, qui extraneus quum ſim, Te publico Subditorum Bono, & graviſſimis imperii negotiis ſemper intentum intempeſtivâ hujuſce opuſculi oblatione, interpellare veritus non fuerim. Verùm etſi ex eâ, qua omnes qui bonas artes liberaleiſque tractant diſciplinas proſequeris benevolentiâ, conſilium hoc meum ſatis excuſari poſſit; id inſuper me jure feciſſe dicam, quum aliter ingrati animi crimen omni-

nò ſubire viderer. Etenim REX POTENTISSIME, tot tantaque in avunculum meum, Subditum tuum contuliſti beneficia, ut quum ille, quem parentis loco ſemper colui, me verè ut Filium Suſcepit, exinde in me etiam collata videri poſſint. Nefas erat, ſi Supremæ MAJESTATI TUÆ debitas grates, quoquomodo poſſum rependere non ſtuderem. Idcircò iiſdem artibus, quibus ille ad

ſubditorum tuorum utilitatem, egregiè huc uſque uſus eſt, quibuſque Te munificum experiri meruit Remuneratorem, quum me inſtrui voluerit, hocce quo ad eas capeſſendas adnitor tentamen, tanquam primum obſequii monimentum Sacro tuo nomini inſcribi æquum duxi. Tanti enim nominis MAJESTAS & REVERENTIA non ſolum malevolos, ſi qui ſint, compeſcet & procul abiget, ſed etiam, quo

*niſu ad virtutem mihi dein-
ceps contendendum ſit, ut
eo quem ambivi honore
non indignus videar, ſem-
per commonefacere non de-
ſinet. Interim faxit Deus,
REX POTENTISSIME, ut ad imperii tui
columen & decus, ad Scien-
tiarum & Artium profec-
tum quas quotidiè, regali
munificentiâ, & novis inſ-
titutis foves, & promoves,
ad commercii amplificatio-
nem, ad tranquillitatem
tuorum temporum, demùm*

ad felicitatem totius Regiæ tuæ domus, diu incolumis perſtes ac vivas.

Hæc ex animo vovet;

MAJESTATIS TUÆ;

Obſequentiſſimus & humillimus Servus;
J. DEMOL.

DISSERTATIO
PHYSIOLOGICO - MECHANICA.
DE
NATURALI CATAMENIORUM
FLUXU.

GRANDIA in qualibet œconomiæ Animalis functione, grandiora adhuc ac ſtupenda in Catameniis perficit natura; Puellam mox quaſi in cunabulis vagientem non movent inexpectatæ rei auguria, confertim è pudendis cruorem ſtillantem conſpicit, quis diluvii ſanguinei cauſam ſuſpicaretur? Trepidat exanimis Virgo; & in interioribus vulneratam; ac ſauciatam timet; Sed amica naturæ tela, cave ne fluenti rivulo ſtruas aggerem, tenellorum vaſculorum infenſus, brevique incarceratus crudelem acturus tragædiam profunditur cruor, quidquid pavoris intervenerit jam excute; nos ſola petit cruentatæ effuſionis procella, cujus ortum, veſtigia, & finem ſpretis majorum, & recentiorum naufragiis, luſtrare &

aperire non dubitamus: utque aliquo perampla ratiocinandi materies ordine proceſſerit hanc quinque capitibus comprehendere juvat. In primo narrabuntur Menſtruorum origo, quantitas, & color. In 2. Sedes & ordo vaſorum evacuationi famulantium conſtituentur. In 3. Genuinam cauſam adſtruere conabimur. 4. Mechanicam & concurſum cauſarum denudabit. Ultimum denique venturi fluxus præſagia conjuncta, & ſuccedentia in lucem proferet.

CAPUT PRIMUM.

DE MENSTRUIS.

NON moleſtatur ab origine Virgo, neque indiſcriminatim quolibet vitæ tempore erumpit menſtrualis cruor; Etenim ſi propiora infantiæ extitiſſent fluxus cunabula, fæmineum corpus venturos partus labores ſuſtinere, mirabilemque perfectionis metam attingere nequaquam potuiſſet. Si ex adverſo ultimis vitæ temporibus catamenia perduraſſent impendens machinæ ruina celeriori paſſu accelerata fuiſſet; Debuerunt ergo præfixis à natura limitibus fundi, ut nullum ex illis Virgo pateretur detrimentum, imò jucundum Prolis fructum colligeret. Imminui verò, & penitus exhauriri ne continuato evacuationis diſpendio jam exhantlatæ virium reliquiæ penitùs ſufflaminarentur; nec tamen ita ſolemne Catameniorum principium, determinata periodus, & certus finis, ut ſtatutis regulis comprehendi

queant, imò diverſus cœli tractus, varium temperamentum, & diſſimile vitæ genus non ſolum primam effuſionis originem, verum etiam quantitatem; & colorem mirum in modum commutant, ut ex ſequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

De primariis Menſtruorum Periodis.

COmprobatur alienis propriiſque experimentis femellas Galliæ, zonæque temperatæ incolas anno 12. 13. & 14. Menſtrualem Purgationem pati, & in nonnullis, ut Occitanis, & Gallo-Provincialibus Menſtruorum ortum uno anno vel circiter, quam in Pariſinis, Normannis, aliiſque ad Septentrionalem oram magis vergentibus maturiorem deprehendi. In omnibus tamen quâlibet 26. 28. aut 30. die effunduntur, & ad 38. 40. 45. 48. annum extendi ſolent, prout numeroſiori prolis ſerie, frequenti morborum reditu, vitâque ſollicitâ, & laborioſa vires citiùs aut tardiùs conſumptæ fuerunt.

Quæ autem primos Solis radios accipiunt, & calidioribus commorantur oris, ut Hiſpanæ, Turcicæ, in Perſide, Lybiâ, Imperioque Orientali natæ catamenia ferunt verſus annum 9. 10. 11. 12. eâque forſan ratione in legitimum, vel naturalem concubitum citiùs ſollicitantur cum apud omnes Sanguinis menſtrualis fluxus, aut prolis concipiendæ æquale habeatur præſagium, quâlibet 20. 23. aut 24. Effunditur ſæpius bis ſpatio 30. dierum, ut acceperim à Medico qui in Ur-

be Perſiæ Principē Iſpaham dictā quinque annis commoratus fidiſſimè retulit, impuberes & fœminas geminâ; & vel minimo in victûs ratione exceſſu, aut ardentiori Sirio, triplici vice expurgari, quod non mirum videbitur, ſi ad ingentem Regionis Siccitatem, præſertim verò ad victum potumque ex (*a*) pilau, & (*b*) benguè confectum attendamus, quibus ipſarum præcordiâ ſummoperè fervent, & jugiter incaleſcunt; noverim & quoque in hâc regione Salaces, & ad venerem inflammatas; promptaſque Virgines, quæ geminam evacuationem in menſe præſertim æſtatis tempore, æquali periodo patiebantur.

Tandem quæ borealem ducunt ſpiritum, ut batavicæ, belgicæ, ſueciæ, tardius reliquis Femellis in origine purgantur, anno ſcilicet 15. 16. vel 17. Si exceperis natas in ultimis Septentrionis finibus, aut propè tropicos quarum Menſtrua navigantium fides ad 18. vel 20. annuum remittit, renovantur in iis Catamenia ſpatio 35. aut 40. dierum, & ad 48. 50. & 55. annum extenduntur.

CORROLARIUM I.

Debetur ille varius Menſtruorum ortus naturæ, rarefactioni, & ſiccitati aëris, qui ſolidorum compagem, fluidorumque conſiſtentiam commutando; velociùs quoque, aut tardiùs incrementum determinat.

(a) *Tavernier, Relation du Serrail, chap.* 3.
(b) *Chardin, Voyage de Perſe, tom.* 4. *ch.* 17.

CORROLARIUM II.

Quo primis temporibus mollior laxiorque erit primigeniorum vaſculorum fabrica leviorque liquidorum nexus eo velocius incrementum, ac maturior futura eſt menſtruorum eruptio, cum prima Sanguinis effuſi periodus ultimis accretionis terminis ſemper reſpondeat.

PROPOSITIO II.

De Menſurâ Sanguinis Menſtrualis.

Deffiniri nequaquam poteſt cruoris ex uterinâ viâ promanantis quantitas; hanc communiorem, pro diversâ Regione, ætatis varietate, & temperamentorum combinatione aſſignare nobis ultrò ſufficerit.

1°. Frequenter de induſtria ponderatis linteis, quæ ad coercendum uterinæ purgationis profluviumſolito impendunt fœminæ ante primas ſtillicidii guttas, quæ deinde cruentata bis aut ſemel in die rursùs expendebam, ſummâque molecularum quæ aëris attactu, vel ferventis partis halitibus in auras difflaverant deductâ, compertum habui Occitanas in menſtruali fluxu 8: 9: & 10: uncias profundere, quæ ſpatio 4: 5: vel 6: dierum vulgò ſtillant; Hiſpanæ è contra, ex quorumdam Medicorum relatis copioſiùs longè menſtruantur, cumearum fluxus 14: aut 16: uncias adæquet, & quandoque ſuperet; quod fortaſſis graciliorem & exſuccum ipſarum Corporis habitum conſtituit, nec tamen longiori intervallo, ſed copioſiori rivulo ſanguinem fundunt, indeque pudendum,

parteſque vicinæ medio in cruore immerſa fuiſſe appareant, contra verò Batavicæ, Germanæ aliæque Borealis tractus incolæ minorem copiam dimittunt, quæ cum tardiuſculis undis moveatur, & erumpat, ad 8. & 9. diem perducitur.

2°. Ætas & conſtitutio Femellarum uterini proprofluvii quantitatem multum immutant, primâ enim originis periodo ſolet eſſe parcior, in juvenili maturâque ætate plenior, inde ſemper decreſcit, quo magis versùs finem tendit animal, donec naturæ imperio, inopinatâ rerum facie, vel quolibet alio fortunæ ludibrio penitùs evanuerit: major inſuper obſervatur copia purgationis menſtruæ in macilentis, & alacrioribus, quam copioſiori pinguedinis vel ſeri penu ſaturatis; Salaciores adhuc, in libidinis aut iracundiæ motus præcipites uberiorem Sanguinem effundunt melancholicis, pituitoſis vulgò frigidis dictis, quæ difficiliùs exardeſcunt, deliciiſque venereis levius percelluntur.

3°. Diverſo vitæ, & exercitii genere augetur vel imminuitur uterinæ evacuationis quantitas, quæ enim lautiori victu utuntur, ſimulque otio & gulæ liberalius indulgent, ſobriis, vel aquoſiori cibo enutritis copioſiùs longè purgantur, obſervatur adhuc ruſticas, diurno labore induratas ſaltatrices, aliaſque violentis motibus exercitas, uno verbo Scythicas mulieres parciorem vel nullam menſtruationem experiri; idem eſto judicium de iis quarum vires gravior morbus proſtravit, aut diuturnior inædia liquidorum molem exhauſit.

CORROLARIUM I.

Hæmorragia uterina ſemper eſt in ratione reciprocâ augmenti liquidorum quo concitatur, cum eâ peracta ſanguinei fluctus componantur, & ad priorem libellam reſtituantur.

CORROLARIUM II.

Augmentum tamen illud liquidorum nequaquam determinari poteſt, cum ex ratione compoſitâ viſcerum roboris proceſſerit, quod ferè in omnibus Subjectis variat, tùm reſpectu ad ſolidorum texturam, vel humorum irrigantium conſtitutionem.

PROPOSITIO III.

De Colore Menſtruorum.

Antiquus fuit error cruorem menſtruali periodo ex uterinis vaſis dimanantem planè corruptum, & venenatum eſſe, ut pote quod ipſius ſuppreſſio ingentem corpori ſtrueret perniciem, ſæpiuſque colore nigricante ſaturatus, aut in plures grumos concretus deprehenderetur, vanum illud præjudicium ad publicam mentem, cujus fiducia fallaci rerum apparatu extorquetur, ita ſerpſit, ut innumera Menſtruorum prodigia quiſque confabulatus fuerit : Nonnulli firmiter aſſeverant penem cujuſdam Maris cum menſtruatâ concumbentis, contactu illius ſanguinis brevi dilaniatum, & exulceratum, novellam vitem in perpetuum lædi, & ſi ſuper quamlibet plantam fortuito, vel de induſtriâ effuſus fuerit, brevi foliorum virorem

contabeſcere; amænitatem deſædari, moxque præcipiti ſiccitate penitùs exareſcere.

Alii acriter defendunt Canes qui linteamenta ſanguine menſtruo tincta demorſerant, aut ſaltem diù in ore volutata detinuerant, aliquot exinde elapſis diebus rabie caninâ correptos occubuiſſe; tandem prodigiorum Narratores pulverem Symphaticum cum Sanguine menſtruo conficere, & parare jactitant, cujus adeo ſtupenda virtus ut quamdiù in nobis reſidet, fæmineum pectus è cujus gremio extractus fuit perpetuò furibundi, & inſatiabilis amoris vinculo devinciat atque conjungat. Verum quam immeritam menſtruo Sanguini naturam adſcripſerunt, patet illud diſcuſſis Fabularum erroribus, accensâ circulationis face, ſtrictoque ſanguinis effuſi examine, quibus probaturi ſumus eum prorsùs congenerem ſuperſtiti in reliquis vaſis coercito; eodem tractu, ſimilique potentiarum ordine ad uterum propelli, ibidemque variis canalium flexuris ſubigi, demumque non venenatâ naturâ, ſed exuperanti copiâ diffundi, cui ſi nullus ad ſeceſſum â naturâ paratus fuiſſet aditus amicabilis functionum conſenſus & harmonia brevi corruiſſent.

Nec tamen diffitemur Sanguinem illum varias ob cauſas prava ſui præbere indicia, ut ſi plus juſtò in vaſis ſtagnaverit, & ex inſolitâ morâ, congrumatus nigro colore, fœtidiſque effluviis ſaturatus expurgetur, quo quidem in caſu jam narratæ malorum ſeriei origo forſan nactura eſſet, ſed ſemper inconcuſſum manet Sanguinem ex utero ſano fluentem vividum floridumque deprehendi, uno verbo qualem è recens mactatâ victimâ ſtillantem cernimus, neque dictis obſtat, levior ille â ſplendente rubeo colore receſſus, cum ſtatim-

atque

atque globuli purpurei è vaſis ſemel eruperint; moleculæ rubicundiores ſenſim disjungantur, ſeparentur amplioraque vacuola luminoſos radios abſorbentia relinquant.

Reliqua coloris Menſtruorum diſcrimina ex ætate vel temperamento repetenda ſunt.

1°. Ratione temporis primâ vice erumpentia limpida, ſubalbida, & tenuiſſima apparent, varias ſenſim nubeculas rubicundiores conſequuntur, floreque ætatis vividiora fiunt, donec impendente capitis nive in colorem fuſcum & nigricantem abeant, qui ultimos diſceſſus terminos prænuntiat.

2°. Variæ colorum commiſſuræ pro conſtitutione Femellarum Menſtruis accedunt, etenim ſi ſiccæ, bilioſæ Sanguinem floridum & ſpumoſum, obeſæ verò pituitoſæ vapidum, fuſcum & ad obſcurum acccedentem profundunt, tandem quaſdam videre eſt, quæ toto vitæ curriculo aut ſaltem longioribus annis ſub formâ albicantis & lacteæ menſtruam purgationem patiuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De Sede & Ordine Vaſorum è quibus manat menſtrualis Cruor.

MOVENTUR adhuc graviores querelæ bellaque proſtant inter Medicos acerrima de genuinâ Menſtruorum ſcaturigine, quidam

fluentis Sanguinis rivulos in utero; nonnulli in vaginâ conſtituunt; alii tandem quaſi ancipites manent, ſed eligendi arbitrium penitùs ſolvent, jam delineanda viſceris deſcriptio, & experimenta nonnulla quæ peculiariter in hâc parte tentare & obſervare amica fortuna nobis obtulit.

Deſcriptio Anatomica Uteri.

In humillimis etiam jacens natura admirationem ſemper rapit, uterus enim quem Latini Matricem, alii Utriculum, Genituram vel Locum Muliebrem appellaverunt, tam eleganti & operoſo artificio fabrefactus obſervatur, ut rectè pronunciatum fuerit, eum omnes comprehendere & à nemine ipſum comprehendi poſſe, ſitus eſt in Hypogaſtrio (*a*) ſeu inferiori abdominis parte quæ pelvis dicitur, inter veſicam, & inteſtinum rectum, ut forſan humana mens abjectorum ortus confiniorum memor ſuperbiæ alas demitteret, aut ut crediderim quod commodius antrum tutiorque receſſus in fœmineo ſexu ad originem, & fœtus incrementum reperiri minimè poſſent (*b*) tali enim ſtatuto termino, anteriori parte ab oſſe pubis, oſſe ſacro à Poſterioribus, & ab oſſibus ileum à lateribus tanquam à tutiſſimis mænibus circumdatur, externarumque injuriarum incolumis ſervatur.

Unicus eſt uterus licet inſolito naturæ ludibrio bipartitus aut duplex obſervatus fuerit (*c*) ne-

(a) *Theatr. Ananom. Mangeto cap.* 11. *p.* 51.
(b) *Ibid. theatr. anatom. cap.* 11. *pag.* 51.
(c) *Hiſtor. Regiæ Scient. Academ. Pariſ. Anni* 1705.

que in medio hypogaſtrii præciſè reſidet, ſed quandoque versùs dextram, ſæpiùs verò verſus ſiniſtram partem tendit, quod præſertim in prægnantibus ab aliis Anatomicis notatum invenimus (*a*) variat hujus viſceris figura pro diverſo femellarum ſtatu, cum enim fœtus rudimenta non latent ſatis aptè pyram repræſentat, quod ſi gravidata fuerit mulier, prioribus menſibus veſicæ urinariæ non abſimilis eſt, & accedente partus termino ità ſenſim diſtenditur, & ampliatur, ut exceptis colli finibus, ad globoſam & ſphæricam figuram proximè acceſſerit, uno verbo ſi uterinæ caveæ formam ex Verheyenio (*b*) aut ex Graaffio (*c*) cum aliis pluribus comparaveris facilè intelliges ejuſdem caveæ angulos ab utroque eorum longè minus quam par eſſet, acutos delineari, ſive quod eodem recidit longè æquo craſſiores uteri parietes oſtendi quâ tubæ tranſmittuntur (*d*) Diverſam inſuper ſtatuunt antri uterini capacitatem Mulieris Ætas, Libidinis uſus, corporis proceritas, fœtura, aut ſterilitas, etenim in junioribus Virgunculis, vel etiam in Viro maturis quæ nunquam concepere fabam majuſculam vix capere poteſt. (*e*) Quæ deindè paulatim augetur donec ſenili ariditate ad priſtinum ſtatum redeat, in iis verò quarum genitalia frequentiori orgaſmo aphrodiſiaco impenſiùs dilatata fuerunt, ut in mulie-

(a) *Theatr. Anat. Manget, ibidem Graaff. Morgag. in adverſariis Anat. pag.* 46.

(b) *Tabula* LXXII. *ad numerum* 6.

(c) *Tabula* LXXII. *ad numerum* 2. & 3.

(d) *Adverſar. Anatom. Morgag. pag.* 74.

[e] *Manget pag.* 53. *Heiſter. Compend. Anatom. pag.* 99. 236.

re à marito in adulterio occiſa teſtatur celeberrimus Ruiſchius (*a*) aut quæ numeroſæ prolis matres extitare, longè notabilior uterus obſervatur, in gravidis quoque ità ampliatur, & ad tantam molem perducitur, ut non ſolum ultimum Umbilici marginem attigerit, verum etiam totam pelvim replendo inteſtina tenuia, & reliqua viſcera ſursùm comprimat. Infœcundæ verò quarum interiora uteri ſpirituosâ Seminis aurâ nunquam irrorata fuere multò exiguum & coarctatum obtinēt, demùm cum quælibet corporis noſtri pars in particulari moli totaliter ſumptæ reſpondeat, evidens eſt in procerioribus quam in parvulis femellis uterum capaciorem fore. Duplicem in eo notant membranam Anatomici communem unam craſſiorem, firmam à Peritonæo natalia ducentem, quæque juxtà delicatiorem quorumdam Anatomicorum ſectionem, in duplicem, triplicemve portionem dividi poteſt, alteram verò non a peritonæo ſed ab internâ uteri ſubſtantiâ oriundam, quam Malpighius ſicut & priorem carneis fibris varios in faſciculos coagmentatam, & quampluribus lacertoſis filamentis implicitam deſcripſit; hanc verò Graaffius omni fibrarum muſcularium apparatu exutam pronunciavit, internæque uteri ſuperficiei contextum ſpongioſum planè & innumeris foraminulis pervium ſæpius detexit, quod ex ſuccoſis vaſorum lymphaticorum extremitatibus omni vaginâ in hâc parte denudatis, neque in quamlibet membranæ ſpeciem extenſis deducendum arbitramur.

Confirmant conjecturas relata Merii Litrii, (*b*)

[a] *Theſaur. Anat.* 6°, *pag.* 15.
[b] *Hiſtor. Academ. Regiæ Scientiar. ann.* 1706.

qui internam uteri ſuperficiem, nullâ obductam membranâ ſœpiùs exploraverunt, clariùs etiam èvincunt propria obſervata in puellâ fluentibus adhuc Catameniis, muliere ab ipſorum ſuppreſſione, & prægnante medio in geſtationis tempore èvivis ſublatis quibus ultrò ad credendum compellimur interiorem uteri partem, omni vaſorum vel fibrarum carnearum fulcimento deſtitutam, libero Lymphaticorum canalium concurſu, ultimaque ipſorum expanſione circumſcribi.

Firmatur autem & in ſede detinetur, mirandum illud Originis noſtræ conceptaculum quadruplici ligamentorum ordine quorum duo lata, rotunda alia nuncupantur priora â peritonæo orta, non uteri tantum ac vaginæ lateribus alligantur, verum etiam Præcipua illius parte vaſa teſticulos, Et tubas quodam modo amplectuntur. (*a*) Notat tamen Morgag. (*b*) eam partem quam alis veſpertilionum ſimillimam infra refert citatus Author Accuratius diſtinguendam eſſe, ut pote cum ligamenti uteri lati, & officium & nomen ſervare debeat, dum exterior extremo ſoluta non uteri, ſed tubæ ligamentum nominandum ſit: Rotunda vero ex fundi uteri lateribus enata inter duplicaturam peritonæi verſùs inguina, & obliquè ſupra pubis oſſa verſùs pinguedinem ibì copioſè exiſtentem excurrentia, in eâque prope clitoridem tandem in multas partes diviſá, terminantur & evaneſcunt. Nec tamen uti ſentit. Manget. [*c*] In ſuperioribus præſertim partibus collocata fuerunt, ne uterus poſtremis geſtationis menſibus ad hanc, vel

[a] *Theatr. Anat Manget, cap. II. pag. 59.*
[b] *Adverſar. Anatom IV. pag. 49.*
[c] *Pag. 60.*

illam ventris regionem ullatenus inclinaret, cùm deventrius nullum propriè dubitandi locum reliquerit, diſtentum gravidarum uterum ſuo pondere facillimè hùc & illùc ferri & inclinari imò difficiles partus indè enatos, facili Argumentorum ſerie deducere contendit.

Multiplici ne dicam omni Vaſculorum genere locupletatur uterina moles, ſtatim Hypogaſtricâ & Spermaticâ Arteriarum ſobole irrigatur, quæ cum Hæmorroidalibus ramis juncta [a] numeroſum vaſorum ſanguiferorum apparatum conſtituit, variæ Arterioſorum canalium propagines non recto, ſed admodùm flexuoſo curſu feruntur, & in Contortos ac Labyrintheos, ſed itá inter ſe nexos canaliculos abeunt ut aliquamdiù inflato unius Arteriæ principio totius pariter uteri Arteriæ peræque turgeant ac diſtendantur, injecti que Ceracei liquores ad ultimum capillamentorum terminum pervenerint. (*b*) Venoſum pariter tractum luſtranti ſeſe offert æqualis vaſorum reducentium divaricatio, imò notabilior ut potè cum an fractuoſis ramis dictas arterias comitantia, ſerpentino ac pampiniformi paſſu ad uterum & vaginam deambulent, tamque patenti anaſtomoſi ſibi invicem copulentur, ut valvularum ſectionibus denudata faciliorem aëris inſufflati, liquorumque injectorum tranſitum permiſerint. (*c*) (*d*)

Ex his autem primariis Arterioſis truncis naſcuntur & immediatè prodeunt, ſicut in reliquis humani corporis partibus canales arterioſi, vulgò lymphatici dicti qui naturali coitione ductus, non

[a] *Heiſter. Compend. Anatomic.* 100.
[b] *Heiſter. pag.* 251. *Hoffman. pag.* 217.
(c) *Heiſter. ibid. Hoffman. ibid.*
[d] *Heiſt. Compend. Anatom. pag.* 100. 236.

ſolum ad radices venarum tendentes efformant; verum etiam compluresalios quorum magna pars, & in vias Chyloſi commeatus , & in peculiaria conceptacula derivatur , hoc ultimum vaſorum genus quod multis lactea vaſa, vel conicos ductus nominare placuit, veræ ſunt arteriæ venæque lymphaticæ, quæ interiorem illam uteri ſpongioſam ſuperficiem componentes, excretorios ductus emiſſariorum uterinorum nomine inſigniendos, & in capacitatem uterinam ſeſe exonerantes ſuppeditant atque conſtituunt.

Huc uſque in animalium utero lymphaticorum canalium originem, & expanſionem ſolum probavit Anatomicorum turba; ſed in Femellis pertinaciter negavit; quamquam nonnulli varios in externá ſuperficie excurrentes admiſerint, qui ſenſim coeuntes, & rivulorum ad inſtar aucti ad magnum lymphæ receptaculum terminantur, ſed multiplicem imò majorem eorum luſum in internâ ſuperficie evincunt obſervata Litrii, forſanque clarius confirmabunt quæ mox de illis dicturi ſumus.

Tandem ſi numeroſus ſit vaſorum ſanguineorum & lymphaticorum in ſubſtantiâ uteri apparatus, non deſunt quoque nervoſa vaſcula quibus ſpirituoſum liquidum ipſi infundatur, accipit enim propagines ab intercoſtalibus & oſſe ſacro oriundas (*a*) quæ penis contactu aut ipſius viciniâ ſuccuſſæ amatoriam ſenſus venerei convulſionem proritant & accendunt.

Reliquas uteri partes ut ovaria, tubaſque fallopianas intacta Conſulto relinquimus, ut potè cum ad abſtruſum conceptionis miſterium præſer-

(a) *Heiſter. Comp. Anatom.* 101.

tim ſpectantia, præſentem materiam dilucidare; propoſitumque Quæſtionis nodum expedire nullatenus poſſint. Quamobrem ad propria obſervata accedemus; ut exinde quidquam certi ad in perpetuum ſtabiliendam vaccillantem & acriter oppugnatam ductuum lymphaticorum exiſtentiam quam primum afferri poſſit.

OBSERVATIO I.

Puella quædam cui nomen inditum Bouquette, viginti-octo annos nata vitam degens in laterali Vico ſub-Urbii dicti St. Guillain quæ ætatis flore complures inſultus epilepticos experta fuerat, octavâ die menſis Auguſti anni 1727. poſt vehementiorem iracundiæ impetum fluentibus catameniis conceptum, incidit in gravem epilepſiam, quæ brevi commutata in fortem apoplexiam, victis omnibus remediis, ultimos ægrotantis dies undecim horarum ſpatio terminavit; improviſa mors! præcepſque funus Parentes adeò commovere, ut ipſimet cadaveris aperturam ſupplices, & ardenti voto â me petierint; tanto lubentius propoſitum excepi, quo emortuæ mater clyſterem ſtibiatum aliquot horis ante funus injiciendo Subuculam natæ cruore tinctam ſe obſervaſſe, animamque cum ſanguineis rivulis exituram pertimuiſſe pavidè retulerat; Statim ſecto cerebro ob prægreſſam quam in ipſo ſuſpicabamur labem, offendimus ſinûs longitudinalis oſſificationem, tamque notabilem vaſorum omnium viſcus perluentium dilatationem, ut ipſorum flexuras & ambages nudis etiam oculis introſpicere licuerit; nec tamen ſufficientem funeris præcipitis cauſam protulimus; ut tempus nobis

bis amplum ſuppeteret ad reliqua viſcera præſertim uterum perſcrutanda, cujus jam apertos ad catamenia rivulos mater affirmaverat; quamobrem reſecto abdomine brevi in conſpectum venit uterus quem è loco extractum mediâ in parte ſecuimus, ut patentiori luce nobis ipſum explorare liceret; ſtatim oculis ſeſe obtulit interior viſceris pars rubicundior, craſſior, ſucco turgida levioribuſque punctis quaſi ex induſtriâ vulneratis diſſeminata, deindè preſſâ uteri mole ex punctis illis, & ſpiraculis laceratis ſaliebant guttulæ lymphatico-rubicundæ, ſeu ſanguis ipſe cum quibuſdam lymphaticis partibus, quas in inferiori parte coacervatas rubicundis & albicantibus nubeculis non intimiùs commixtis conſperſas deprehendimus.

OBSERVATIO II.

Mulier quædam non obſcuri generis annum vitæ quadrageſimum ſeptimum Agens quæ in pago ad octavum ab Urbe lapidem ævum traducebat, â duodecim aut circiter annis de graviori dolore in regione hypogaſtricâ acerbè conquerebatur, cujus originem à ſuppreſſis ſubitò Menſtruis versùs annum 34. determinatam pronuntiabat, non ſemper æqualitèr urgebat malum, ſed ſemel aut bis in menſe ſaltem in principio, factoque deinde progreſſu bis aut ter in hebdomadâ ita acriter recrudeſcebat, ut mentem ægrotantis è ſolio deturbaret, eaque mediis in campis clangosâ voce, & inordinato greſſu debaccharetur, imò quod ſœpiùs contigit puteis ex aquâ pluviali confectis, aut minoribus rivulis per rura diſperſis pedes, & crura hyemali tempore immergeret; ad ſublevandum inquiebat illa in-

gentem caloris ſenſum quo in partibus præſertim inferioribus torquebatur nec aliter delirantem pacatâ doloris exacerbatione quiſpiam obſervavit, quamquam tamen pluries ſine ullo febris indicio, vel evidenti machinæ læſione mortis formidine perculſam reperire licuerit, adeo ut exinde vero hypocondriaco affectu correptam ſuſpicatus fuerim, ſic alternato quietis & cruciatus reditu irrequieta diu vixit, donec febris lenta, & Maraſmus miſerrimam vitam cum feliciore commutaverint. Tam ardenti voto, aſſiduiſque lacrymis cadaveris aperturam priùs parentibus commendaverat, ut ipſi promiſſi memores & incerti quo morbi genere è vivis ſublata fuerat convocato conſilio, mortuam inſecari ociùs decreverint quem ad finem accerſiti fuere D. Bonniol, & D. Gaillac Chirurgiam in Loci vicinia exercentes, quique coram me inferiorem abdominis partem ſecantes brevi ad Uterum pervenerunt quem ipſemet ſtatim ſolo tactu duriuſculum cognovi, apertâ autem ipſiûs capacitate majori quam ferebat ſterilitas tumor ſeſe obtulit notabilis internum uteri oſculum penitùs occludens lapideamque duritiem planè adeptus, adeo ut actioni Scalpelli diutiùs obſtiterit; inſolitus ille ac induratus tumor curioſitatem tam acriter excitavit, ut internum ipſius contextum ſtrictiori diligentiâ explorare in mentem venerit, quâ de causâ Uterum extractum linteo recondidi, in quo omiſsâ quâlibet induſtriâ, nullâque adhibitâ præparatione obſervare licuit ductus omnes interiorem ſuperficiem perreptantes præternaturam dilatatos, ſucco variegato, & quaſi gypſeo turgidos, qui ſectionem in omnibus ferè punctis ægrius paſſi, materiam obſcurè albicantibus & nigricantibus

moleculis compactã ſed planè induratã offerebant, adeò ut marmoris albicantis nigris variegati maculis, haud diſſimilem imaginem repreſentaret notandum inſuper eandem renitentiæ, & duritiei continuitatem in propioribus vaginæ vaſis, necnon tumores ſchirroſos in ovariis deprehenſa, indeque exceptis exterioribus pudendi finibus, omnes ad generationis opus dicatas partes, obſtructas, impervias, & induratas repertas fuiſſe.

OBSERVATIO III.

Die decimâ menſis Decembris anni 1728 prægnantem in tugurio Urbi vicino commorantem quinto geſtationis menſe, febre putridâ extinctam; quæque unâ aut circiter die antè animæ diſceſſum mortuam prolem excluſerat inexpectata obtulit occaſio præſentibus D. Guilhe Doctore Medico, D. Demol Medicinæ Studioſo, & D. Galliac, Chirurgo Pagi dicti Pignian: nulla interpoſitâ morâ tentavi ipſemet ſectionem uteri, in quo ſanguineos grumos, & quaſi dilaceratam internam ſuperficiem ſtatim deprehendimus, mox aquâ tepidâ interiùs abluto complura hiantia vaſorum oſcula nudis oculis etiam diſtinximus, ex quibus modo leviori, preſſione ex induſtriâ alternatim factâ, modo copioſior, modo parcior lymphaticus humor, aut meram lympham referens exudabat, quem ipſemet deguſtavi, aliiſque repugnantibus deguſtandum quoque exhibui quin vel levioris ſalſedinis aut acrimoniæ indicia ulla dederit,

COROLLARIUM I.

Cum pateat ex variis Authorum obſervationi-bus, ductus perinternam uteri ſuperficiem excur-rentes, in ſtatu naturali ſemper albicantem co-lorem retuliſſe, & ex experimento 1°. erumpentibus Menſtruis humorem lymphaticis, & purpureis mole-culis ſaturatum, iiſdemque fontibus promiſcuè ſtillantem eructaſſe, ſequitur rubicundiorem ſan-guinis partem in ductus uterinos cujuſcumque ge-neris ſint neceſſariò deviaſſe.

COROLLARIUM II.

Colligendum venit ex 2ª. Obſervatione ductu ſuprà notatos in inveteratâ menſium ſuppreſſion humore variegato & menſtruali repletos; eoſden eſſe, qui naturaliter catamenia fundunt, mate-riamque illam coagulatam quam ex lymphaticâ & rubicundâ parte conflatam ſupra aſſignavimus objecto exitui repagulo in memoratis ductibu coacervatam induruiſſe.

COROLLARIUM III.

Inferendum eſt ex 3ª. Obſervatione ductus in internâ uteri ſuperficie apertos qualicumque mo-do contrectatos humorem inſulſum albicante lymphæ planè ſimilem excepta menſium period ſubminiſtrare.

DEFINITIONES.

I.

Sanguinei canales arterioſi dicuntur ea vaſa quæ acceptum à corde cruorem ad partes omnes deferunt.

II.

Venoſi verò cum prioribus continui ultimis partium finibus exceptum Sanguinem ad cor reducunt.

III.

Lymphatica vaſa ſunt ductus illi quos ad circuitum albicantis cruoris partis natura ordinavit.

IV.

Arteriæ lymphaticæ ex arteriis ſanguineis immediatè ſoboleſcunt, partemque Sanguinis lymphaticam ſicut arteriarum capillamenta rubicundam ad partes vel organa deducunt.

V.

Venæ autem lymphaticæ lympham ex extremis ad cor revehunt.

VI.

Quædam valvulis deſtitutæ in venoſos capilla-

res ramos, alteræ verò valvulis inſtructæ lymphaticum humorem in ciſternam, aut ductum thoracicum exonerant atque evomunt.

POSTULATA ANATOMICA

I.

Omnia corporis noſtri organa vaſculoſa ſunt.

II.

Debetur rubicundus partium color vaſorum ſanguiferorum quantitati, globulorumque purpureorum præſentiæ.

III.

Ipſarum verò candor quas ſpermaticas veteres appellarunt à numeroſâ lymphaticorum ductuum ſobole, ex quâ præſertim conflantur repetendus eſt.

IV.

Si cujuſcumque vaſis diameter aut capacitas creverint canalium ex ipſo ſoboleſcentium oſcula pari proportione dilatabuntur.

V.

Si quædam pars priùs in nativo ſtatu albicantes ductus nunc verò rubicundos exhibuerit ductuum

lymphaticorum ampliatio redarguenda eſt.

VI.

Si lymphaticarum arteriarum oſcula quâcumque de causâ ad certum uſque gradum diſtendantur & amplientur rubicundas cruoris moleculas acceptura ſunt, vaſaque ſanguinea mentientur.

VII.

Humores omnes ad peculiaria conceptacula ex Sanguine confluentes ductibus excretoriis ad hoc opus dicatis in ipsa exonerantur.

VIII.

Multiplici memoratorum ductuum numero inſtruitur uterus qui emiſſaria uterina nominanda ſunt.

IX.

Interna uteri ſuperficies lymphatico rore ex iis uterinis emiſſariis ſtillante continuò madet.

X.

Si aër inſuffletur vel ceracei liquores per vaſa uterina immittantur brevi in cavitatem uterinam per oſcula emiſſariorum erumpunt.

LEMMA I.

INTERNAM uteri Subſtantiam arterioſis venoſiſque ductibus lymphaticis præſertim compaginatam, & contextam eſſe.

Erumpentibus Menſtruis; aut in inflammationibus uteri, interior conceptaculi Superficies numeroſam vaſorum rubicundâ & lymphaticâ Sanguinis parte turgidorum divaricationem exhibet, ut patet ex 1. Obſervatione, quæ priùs colorem albicantem referentia humorem lymphaticum, ut probat Obſervatio 3º. ſuppeditabant; Sequitur ergò ex poſtulato Vº. Canales illos ſeu è genere arterioſo, aut venoſo extiterint lymphaticos ſemper ſtatuendos eſſe.

LEMMA II.

EXCRETORIOS Ductus in Cavitatem uterinam hiantes, ex propriis internæ Subſtantiæ lymphaticis efformari.

Inſufflatus aër, liquoreſque ex uterinis vaſis

propulſi

propulſi liberiori curſu ad conceptaculum uterinum pertingunt ut evincunt experimenta varia (*a*) & ex interiori ſuperficie ſtillat lymphaticus humor ut probatur ex poſtulato 9°. Ergò ex 7°. verè dantur in utero excretorii ductus qui cum nullam aliam niſi ex finitimis vaſis originem nanciſci poſſint, ſuam ex lymphaticis uterinis legitimam repetere debent.

SCHOLIUM.

Anatomicâ uteri deſcriptione protulimus lymphaticas arterias diverſo reptatu , & continuato tramite, non modò lymphaticos venoſos ductus, verum etiam excretorios tubulos efformare, qui veram emiſſariorum uterinorum originem ſtatuunt.

(a) *Heiſter. pag.* 251.
Hoffman. pag. 217.
Fanton. Anatom. Corp. human. pag. 180.

PROPOSITIO I.

Lymphaticos Ductus uterinum Conceptaculum interiùs perreptantes, ad certum uſque gradum ampliatos unicam eſſe menſtrualis Sanguinis Scaturiginem.

Compertum eſt ex experimento 1°. Menſtruum Sanguinem ex uterinis rivulis, & conſequenter è vaſis interiorem uteri ſuperficiem ambientibus immediatè dimanare, ultrò tamen concedimus memoratorum ductuum aperturam, quos è genere lymphaticorum probavimus, dum ipſorum niſus eſt in ratione reciprocâ momenti liquidi decurrentis Solis albicantibus tranſmittendis moleculis comparem eſſe, verùm ſi ex labe ſolidi aut fluidi erraverit illa proportionata virium contranitentia, ſeu quod idem eſt, ſi minuatur tubulorum actio, vel augeantur ſanguinis fluentis impetus & reſiſtentia, quis negaverit neceſſariò dilatandam & ampliandam fore vaſis capacitatem, eodemque tempore ramorum ex ipſo ſoboleſcentium oſcula; ita ut grandiores ex trunco arterioſo moleculas haurire poſſint, diſtentis autem & diductis lymphaticarum arteriarum parietibus, pari paſſu & æquali momento ſuccedet venoſorum

lymphaticorũ dilatatio quæ brevi eâdẽ perſeverante actione, ad univerſam eorumdem vaſorum prolem tranſmiſſa, ductuum quoque excretoriorum in cavitatem uteri dehiſcentium, capacitatem & diametrum ampliabit, qui eâ ratione humorem ex primariis truncis dimiſſum patentiori oſtiolo fundere & eructari cogentur.

SCHOLIUM.

Cum huc uſque delineatus, internorum uteri vaſculorum, apparatus ſacro involucro latuerit non mirum eſt ſi quæ in variis Auctorum monumentis, aut in Recentiorum ſcriptis ad proponendam Menſtruorum originem exarata deprehendimus, maligno hypoteſum fuco levioribuſque conjecturarum argumentis illuſtrata fuerint: At expoſitæ lymphaticorum ductuum propagines in interiori uteri ſubſtantiâ ſparſim diſſeminatæ, modò lymphâ ſolâ antè Menſtruorum profluvium, modò erumpentibus catameniis humore rubicundo turgidæ ac diſtentæ, inoffenſum quem ſemper tenuit menſtruus Sanguis tramitem, tam apertè demonſtrant, ut de ipſo impoſterum omnem jurgii & controverſiæ inter Medicos cauſam ſubmotæ ſint.

PROPOSITIO II.

Sanguinem menſtrualem in Ductus excretorios ſeu emiſſaria Uterina Deductum ex iiſdem in Uteri Cavum ſtillare.

Duplex tantum emiſſionis via conceditur globulis, qui è communi rubicundæ partis fluento ejecti, in lymphatica deviarunt; vel per dilacerandos & ſolvendos tubulorum parietes, vel per naturaliter aperta; jamque ex præviâ dilatatione magis hiantia uterinorum emiſſariorum oſcula, nullum autem moveri poteſt dubium, quin per ulteriores rivulos effundantur, ut ex ſequenti argumentorum ſerie evincetur.

1°. Certum eſt quodcumque liquidum præſertim tubis coercitum expeditiori viâ ſemper diffuſum iri, ſed minor reſiſtentia, leviuſque repagulum Sanguini per uterina emiſſaria fluxuro offeruntur, quam ſi lymphaticorum canalium parietes pertrumpendi eſſent cum amplianda ductuum jam naturaliter hiantium apertura, minorem novâ ipſorum ſolutione cauſarum efficaciam deſideret, undè globulorum copia in lymphaticos deducta, ex præviâ dilatatione magis apertis emiſſariorum oſtiolis faciliùs dilabetur.

2°. Cum menſtrualis purgatio ad arcenda ſuperflui Sanguinis incommoda, ex naturæ legibus

ſancita fuerit, ſequitur hanc convenientem vaſorum apparatum in fœmineo ſexu ordinaſſe, ut exindè nullâ illatâ corpori labe, & intactâ tubulorum unione Sanguis ille ſecederet; ſed cum compertum maneat quemlibet humorem, vel exundantem, vel debitâ copiâ fluentem, naturæque viribus expulſum, ductibus excretoriis diffundi & excerni; quis unquam in uterino fluxu aliter ſucceſſurum concipiet, cum ex aliâ parte excretoriorum ductuum, ſeu emiſſariorum uterinorum exiſtentia jam feliciter comprobata fuerit.

3°. Dum inflammantur Pulmones, fiſtula trachæalis, conjunctiva, pars Sanguinis rubicundior in lymphaticos ductus memoratarum partium contextum irrorantes derivatur, ut varia experimenta demonſtrant, quorſum? Erumpentibus Menſtruis. Quibus uterinum conceptaculum ſolito magis turget, diſtenditur, & naturali phlogoſi tentatur; quorsùm, inquam, Globuli purpurei ad ipſius lymphaticos dilatatos, indèque continuato tramite ad emiſſaria non perducentur.

Ultimo tandem interna uteri ſuperficies antè profluvium catameniorum, ex omnium obſervatis ſemper albeſcit, ipſiuſque vaſa, etiam graviore vi compreſſa, humorem lymphaticum repetito ſtillicidio fundunt, ut ex 3°. noſtro experimento; mox verò inſtanti menſtruali fluxu cruentata liquidum rubenti & albicante colore ſaturatum ſubminiſtrant, ut ex 1°. experimento patet, conſequens eſt igitur rubicundam cruoris partem ſeu globulos purpureos ad lymphatica uteri vaſa deviaſſe.

SCHOLIUM.

Confirmatur diſtentis & ampliatis copioſo globulorum numero ductibus lymphaticis rubicundam cruoris partem per uterina emiſſaria fluxuram, cum ex poſtulato 4°. pari proportione dilatanda ſint, eamque ſimili viâ inceſſuram ac liquores injecti, & inſufflatus aër qui per ea effugere ſolent.

CAPUT TERTIUM.

DE

CAUSIS MENSTRUORUM.

QUOT & quam multiplicia, huc uſquè circà menſtrualis fluxus cauſas prodierint Syſtemata, quantaque Veteribus ſcrutandæ originis & ſtabiliendæ cauſæ prurigo extiterit, patet ex copioſis ipſorum voluminibus, ſed ſolertiam ſemper vicit arduus difficultatum nodus, laborumque infelicem exitum, necnon conjecturarum futilitatem evidenter probant, & opinionum diverſitas, & fabularum narratio.

Antiquioris ſæculi Auctores cum Ariſtotele *(a)*

(a) *De Generat. Animalium.*

deindè Galenus (a) cum fautoribus periodicam illam evacuationem ex regulari Lunæ motu, variamque ipſius quantitatem, ex diverſâ memorati ſideris phaſi, modo vehementiùs, nunc debiliùs agente deducenda eſſe firmiter aſſeruere; deinde à Galeno Auctores deducti, piaculum fore, & temerarium ultrà progredi, novaque excogitare exiſtimantes, laudatam opinionem acriter defenderunt, eamque unicâ conſideratione circà periodos locupletarunt; decuit enim juxtà eos profluvium menſtruale per quædam intervalla rediturum, ne ſi continuum foret Mulieres eſſent viris minus acceptæ, qui ex antro aſſiduè cruentato nauſeantes, in amplexus venereos rariùs idcircò incitati fuiſſent; qui verò poſt Galenum ejuſque fautores Medicinam excoluerunt, ablegato aſtrorum influxu, incertâ ſuſpensáque mente circà menſtruorum Phœnomena, ad Helmontii Archæum ſeu corporis noſtri rectorem, vel ad providæ naturæ leges confugerunt; tandem ulterioris ſæculi Scriptores cum præſidio fermentationis ex cœleſtibus miſſo, rem feliciter confecturos confidentes ſequentibus argumentis materiam illam digerunt.

1°. Ductâ terræ cum utero analogiâ, quæ prout calidioribus effluviis, ſalibuſque nitroſis fermentantibus magis aut minùs ſaturata, copioſiorem vel parciorem ſeminum commiſſorum prolem ſuppeditat, ſic pro majori vel minori ſalium & corpuſculorum fermentantium in utero collectorum efficaciâ, & quantitate uterinam fæcunditatem pariter augurantur, quod exemplo mulierum Ægypti confirmant, quæ aquam Nili ſalibus ni-

(a) *De diebus decretoriis cap.* 2°.

ttoſis imprægnatam epotantes, & fæcundiores obſervantur & breviori tempore in utero gerunt.

2°. Fermenti particulas è Sanguine ſenſim ſecerni, tacitoque niſu in fibrarum interſtitiis, vel rugis uterinis coacervari arbitrantur, donec, præ nimiâ, copiâ aut virtute ſui juris factum, incaleſcentiam & fervorem quibus dilacerari & rumpi queant uterina vaſa concitaverit.

3°. Periodos longiores aut breviores ex inæquali imparique copiâ fermenti ita repetunt, ut quo citiùs cumulatur, vigoremque acquirit, eò velociùs Fæminæ purgentur, eò ducti præſertim ratiocinio, quo plantæ ſale volatili abundantes menſtruam purgationem accelerent, vel eandem ſi ſuppreſſa fuerit promoveant, ſed antiquiorum ſiſtematum nugas, & exploſionem mittamus; Aliò mentis acies eſt convertenda cùm reliquarum opinionum ſuperſtitio proponendæ ſententiæ auctoritatem nullam conciliare debeat; parcendum inſuper patrum manibus, ipſiſque ſervanda debita reverentia, qui ardua quidem perfecere, aut ſaltem perfectionis metam indicarunt.

Præſentis ſæculi Scriptores, certiora quidem de hâc re protulerunt inter quos Bergerus, Fridericus Hoffmannus, Frienkius prima tenent qui plethoram, liquidique per arterias uterinas decurrentis actionem indubitatis argumentis comprobarunt, ſed in aſſignato vaſorum ſanguineorum vulnere omnes prorsùs aberrarunt, ut potè cum ductuum uterinorum ruptionem in menſtruali fluxu jam impoſſibilem eſſe ſuperiùs demonſtratum fuerit.

Nos ſanè movent in quantùm decet numeroſi quæſtionis ſcopuli: ſed lymphaticorum ductuum in utero dehiſcentium, à nobis detecta expanſio,

&

& experimentis comprobata nervos ſtimulat, ſpirituſque ità addit ut meliori fortuna certiorique tramite procedere confidamus; duce tamen facemque præferente illuſtriſſimo exercitatiſſimo Helvetio Reginæ Galliarum Archiatro, qui in Tractatu de Æconomiâ animali tam huc-uſque obſcuram inflammationum omnium Theoriam, dubiamque adhuc globulorum lymphatica in vaſa deviationem illuſtravit; ut nihil prorsùs hâc in re incertum & illibatum reliquerit.

Jam verò quoniam ex prælibatis facilè colligatur genuinam menſtrualis fluxûs cauſam juxtà nos repetendam eſſe ex arteriis lymphaticis, & uterinis emiſſariis eo gradu dilatatis & ampliatis quò rubicundam cruoris partem accipiant, nùnc in eo vertitur quæſtionis cardo ut antecedentia menſtruorum vel dilatationis lymphaticorum cauſas eruamus: quas ad triplicem ſpeciem reducere juvat ad plethoram nempè, adauctum Sanguinis in vaſa uterina momentum, tandem memoratorum ductuum vim debilitatam; quas ſolas aſſignari poſſe ad producenda Menſtrua demonſtraturi ſumus.

PROPOSITIO I.

Nullam aliam generalem Cauſam dilatationis Vaſorum uterinorum quam Plethoram aſſignari poſſe.

Humani Corporis vaſa quæ ex omnium Conſenſu extenſilia & elaſtica ſunt, immota tamen quieſcerent, niſi alternatis fluidorum circulantium fluctibus, ad dilatationem urgerentur, qu ipſorum diſtentionem ità immediatè promovent ut pro majori vel minori ipſorum mole inten ſior quoque vel remiſſior ſemper futura ſit. Poſitâ autem naturali vaſorum amplitudine, hæ augeri nequit quin ſimul liquidi contenti copia increverit quod apud omnes Plethora dicitur, qua cum æquales quocumque vires, data tamen proportione ad diametrum, & vaſorum reſiſtentiam exerat, eo nomine cauſa generalis nominanda eſt, undè ductuum uterinorum capacita ampliari, ſeu in iis dilatationis momentum intendi non poterit, niſi uberiori humorum decurrentium copiâ, quæ certis priùs præfixa limitibus, naturalem ipſorum capacitatem determinabat, & conſequenter quamlibet alteram generalem dilatationis uterinorum ductuum cauſam, miſſâ plethorâ aſſignandam fore repugnat.

PROPOSITIO II.

Uterinos Ductus non niſi vel à momento adaucto liquidi fluentis, vel imminutâ ipſorum reſiſtentiâ dilatari.

Vaſa noſtra fluidorum appellentium mole extenſa & diducta in primarium quietis ſtatum nativo elaterio redire nituntur, & in ipſis reciprocantur liquidorum contentorum niſus, reactioque, itâ ut æqualem ſed alternatam pugnæ & actionis palmam permanente ſaltem ſanitatis commercio ſibi vindicent; ſi autem ſemel æqualis ſupponatur contranitentià inter elaterii vim, & liquidi actionem tubus ad majorem deindè dilatationis gradum perduci non poterit, quin liquidi momentum robur vaſis ſuperaverit; quibus æqualitèr poſitis, actio liquidi vaſis reſiſtentiam numquam vincet, quin vel fluidi impetus augeatur, aut canalis elaterium remittatur, uterina igitur vaſa, quæ naturalitèr ut reliqua humorum fluentium momento contranituntur, nulla arte diſtendi poterunt, niſi uberior liquidorum copia acceſſerit, aut inversâ ratione naturalis ipſorum tonus minuatur quod propoſitionis veritatem demonſtrat.

COROLLARIUM.

Inferes ex duplici Propoſitione, poſſibiles omnes Menſtruorum antecedentes cauſas, ex triplici fonte ſolum repetendas eſſe; cum eæ vel generales, vel particulares ſtabiliendæ ſint, & univerſalis ad Plethoram ſolam, ſicut & particulares ad momentum adauctum liquidi, vel imminutum vaſis elaterium reduci poſſint.

PROPOSITIO III.

Plethoram poſt Accretionis tantùm terminos in corpore determinari.

Quicumque primo originis & infantiæ ſtadio, in corpore acta, attentè luſtraverit, impoſſibilem tunc futuram eſſe plethoram haud difficilè concipiet, hæc etenim quam quiſlibet majorem eſſe liquidorum exceſſum ſuprà nativam vaſorum plenitudinem noverit, nulla ſui proferre poteſt indicia, dum omnis ſuccorum præparatio ad incrementum & perfectionem machinæ ità impenditur, ut exinde excretionum humoralium moles, ſuppeditatis Sanguini minor extiterit, ſeu ſecreta ex Sanguinis lacu quantitati ingeſtorum & additorum nullatenùs reſpondeant; ſequitur indè ſi incœptus additorum, & excretorum ordo

perennetur; minorique tamen velocitate conficiatur accretio, humorum molem non ſolum ex ſolitâ copiâ, verum etiam ex parte incrementi retardata adaugendam fore, imò & iiſdem remanentibus, multiplicandam toto exceſſu ad accretionem impenſo ſi ea penitùs deſierit, quod evidenter tum ratione, tum experientiâ confirmatur.

1°. Ponatur, v. g. quod humorum moles ſit 20. libr. & addita Sanguini ſe habeant ut 3. excreta verò è ſanguine ut 2. Evidens eſt additorum molem, eam excretorum ſemper exceſſuram, ſed manente accretionis periodo, ſemper additorum ſumma, major excretis ſupponenda eſt, cum ſolida ſimul & fluida, tum ad majorem molem graviuſque pondus perducantur, quâ ceſſante ſi pars additornm ad accretionem inſumpta in communem humorum oceanũ refluxerit, liquida accreſcent quantitate additorum, priùs excreta ſuperante, undè à primo ad ultimum in quantum 3. excedunt 2. in tantum augebitùr fluidorum moles, ergò dabitur ultimis accretionis terminis Plethora, quod erat demonſtrandum.

2°. Patet experimentis ſanctorianis (*a*) molem corporis in utroque ſexu poſt accretionis terminos quâlibet die paulatim adaugeri, & toto menſis decurſu ad libram unam aut circiter perduci donec quædam ſuperveniat evacuatio versùs finem menſis quâ corpus ad conſuetum pondus redeat;

3°. Docet communior experientia, ſi quiſpiam habitualem hæmorroïdum fluxum patiatur, vel frequentiorem phlebotomiam ex conſuetudine in-

(a) *Sanctor. 65. & 66. ſect. 1æ.*

duxerit Iliadem morborum oriundam; ſi quacumque de cauſa ſolitæ evacuationes retineantur, quamquam enim Plethora prima mali origo ſtatuenda non ſit, ipſa tamen in decurſu omnes illas ciet turbas quæ naturæ vires ità ſtimulant, ut onus plethoricum quo moleſtatur, quolibet indiſcriminatim fonte, & ſæpius cum vitæ periculo excernere nitatur, cujus ſanè phœnomeni petenda ratio, ex eo quod adauctâ excretorum mole minorique conſequenter ex parte vaſorum, adventuro chylo oblatâ reſiſtentiâ, creſcat ſemper & augeatur chyloſi commeatus quantitas; cujus portio per inſolitam aut artificioſam viam diffundebatur, quæque nunc interiùs coërcita procelloſam liquidorum intumeſcentiam neceſſariò concitatura eſt.

PROPOSITIO IV.

Hanc humorum exuperantem copiam anno 40. 45. 48. 50. *ceſſaturam.*

Quamvis machina noſtra incredibili prorsùs artificio fabrefacta fuerit vegetoſque motus alacriter renovet, tamen ex creatorum omnium lege non ſemper æqualis ineſt virtus, ſolitaque viget harmonia, ſed in dies languet & deficit, imò motus omnes quibus ipſam tueri, ac perennari crederes mutuo & complicato officio ruinam &

detrimentum accelerant: indè non mirum videbitur, ſi quæ viridis ætatis, aut naturæ æſtuantis temporibus apparuere; nunc fatiſcente & ſeneſcente penitùs evaneſcant & extinguantur, quod ſequenti rationum ſerie apertè evinci poterit.

1°. Quo magis versus finem tendit animal, eo quoque exhauſta quaſi natura vix ſufficientem ſuccorum quantitatem ad diurna reparanda diſpendia conficit, undè potiùs minuenda quam augenda eſt fluidorum maſſa.

2°. Declinante ætate languet vaſorum contractio, remittitur liquidorum velocitas, omniumque corporis potentiarum ità debilitatur niſus, ut primaria viſcera quibus debetur ſuccorum præparatio, diù continuatâ laboris & exercitii labe contaminentur.

3°. Ultimis vitæ temporibus, minor, ſæpius, ne dicam, ſemper, ingeritur alimentorum moles, quæ parciorem digerendi chyli quantitatem ſuppeditat, cujus defectu exhaurienda vaſa nemo non videt, cum niſi à partibus illis repleri queant.

4°. Quiſlibet ab origine remotior rariores inflammationum inſultus, & notabiliorem ex leviori hæmorragiâ virium dejectionem experitur, quod parciorem liquidorum copiam, minoremque vaſorum repletionem evidenter probat.

5°. Tandem continuata compreſſione, vel jugi humorum incaleſcentium transfluxu, ità rigeſcunt vaſculorum filamenta, mutuaque canalium producitur complanatio, ut contenta fluida ejiciantur aut de novo appellentia, exſiccato aditu, viâque deletâ excludantur, ſicque, tum ſufflaminatis interraneorum viribus, tum vaſorum coalitu, fluidorum molem jam ferè deducto parca-

tum filo decreſcere conſequens eſt, quæ tametſi inſolito quodam caſu augeretur ex uterinis vaſis, ut potè pari aliorum ſorte induratis & imperviis ſecedere non poſſet, aut ſaltem per ipſa, ſicut reliqua novo tentato aditu diffunderetur.

COROLLARIUM I.

Sequitur ex dictis 1°. Vim partibus impreſſam continuata, tum liquidorum tum ſolidorum actione, in dies infringi ac debilitari.

COROLLARIUM II.

Sequitur 2°. Originis noſtræ principio, capaciora & numeroſiora vaſa, ſenilibus autem annis anguſtiora & pauciora eſſe.

PROPOSITIO V.

Velociorem in Femellis quam in Hominibus plenitudinem demonſtrare.

Quonam fauſto, aut infeliciori fato, velociùs in Feminis ſtatutum fuerit incrementum, niſi ipſæ, exitialis impulſus pænas maturiori calamitatum, & malorum ſerie luere debuerint, prorsùs ignoramus; quâ verò ratione ultimum accretionis terminum citiùs attingant, evidentia ſuppe-

tunt argumenta delicatior feminæi ſexûs compages, temperamentum humidiùs, & otioſa vita.

1°. ex Obſervationibus ſanctorianis ſuperiùs probatum fuit, in utroque ſexu datis incrementi limitibus, pondus corporis in dies augeri; cujus molis momentum ſequitur evacuationis & additionis proportionem, quam longè diverſam in Femellis; ac in Hominibus conſtitutam volumus; etenim ſi ad languidiorem Cordis, & Arteriarum pulſum, ad fibrarum mollitiem, vaſorumque capillarium anguſtiam attendamus, movebit ſtatim minor effluviorum inſenſibilium difflatio quâ maximam additorum partem ex ſtaticâ Medicinâ ſeu ſanioris theoriæ principiis diſſipari comprobatur, cum humorum ſecretionem eſſe; ut velocitatem Sanguinis, vaſiſque ſecretorii orificium demonſtraverit Bellini.

2°. Temperamentum ſi humidius fæminis potiùs quam maribus ex Hipp. (*a*) molliorque; ac laxior corporis textura, ex tactu & viſu obtigerint, non ob alteram ſanè rationem; quam quod in iis major extet humorum redundantia; quæ cum molem corporis, ſivè vaſorum explicatione; aut appoſitione ſucci oriundam determinet, femellarum incrementum accelerabit.

3°. Velociorem adhuc in Femellis plethoræ fontem, ingenerant otioſa vita, tenuiſque labor, quibus ità ſegniùs premuntur, & agitantur fluidorum moleculæ, ut ſufficienter ſubigi, & ad exhalationem præparari nullatenùs poſſint, indèque liquidi copia per ſpiracula cutis diffundenda coacervetur, cum juxtà *Sanctorium* (b) corpora

(*a*) *Hypp. Nat. Puer. ſ.* 6.
(*b*) *Med. Stat. ſ.* 3,

exercitio leviora fiant ; quod tandem evidentiùs illuſtratur exemplo viraginum; & athleticâ vitâ exercitarum, quæ alimentum maſculino more digerunt, & per poros ità eliminant ut nulla in iis, vel ſaltem parcior appareat uterina evacuatio.

SCHOLIUM.

Generalem catameniorum cauſam, plethoram nempè huc uſque, validis rationum momentis, ſuffultam protulimus. Nunc verò eodem veritatis tramite incedentes, cauſas particulares non minoris dignitatis, & efficaciæ ad uterini cruoris effluxum concitandum, quibuſdam præmiſſis perpendemus.

POSTULATA.

I.

Cæteris paribus quantitas liquidi, ex diverſâ vaſorum capacitate propulſi Sequitur rationem directam amplitudinis canalium, major ſcilicet in canalem ampliorem, minor verò in anguſtiorem

II.

Actio lateralis Sanguinis, ſeu vis quâ ad dilatationem vaſcula urgentur, major vel minor futura eſt, prout major; vel parcior liquidi copiâ ad ipsa derivatur.

III.

Momentum Sanguinis non ſolum ex accep-

to impetu, verum etiam ex gravitatis niſu, in arteriis cordi ſubjacentibus æſtimandum eſt.

IV.

Vis illa preſſionis proportionata eſt altitudini columnæ, ſeu quod idem eſt diſtantiæ perpendiculari, à loco compreſſo uſque ad planum horiſontale extremitati columnæ reſpondens.

V.

Actio lateralis fluidi decurrentis, ſequitur adhuc oblatam reſiſtentiam ad effluxum per axem vaſis; undè ſi major opponatur reſiſtentia, augebitur preſſionis lateralis momentum.

VI.

Hæc autem reſiſtentia major vel minor eſt, prout canalis via magis; aut minus tortuoſa.

VII.

Iiſdem poſitis eo major adhuc futura eſt reſiſtentia, quo propellendi liquidi columna longior extiterit, variaque liquidi in parietes tubi notabilior erit alliſio.

VIII.

Diameter aortæ deſcendentis capacior eſt in fæminis, quam in viris,

IX.

Hypogaſtricorum; aliorumque vaſorum amplitudo longè major deprehenditur quam ferre valet uterina moles.

X.

Arteriæ; & præſertim venæ ad uterum protenſæ, contorto ac Labirintheo curſu per ipſum feruntur.

PROPOSITIO VI.

Quantitatem Sanguinis ad Uterum tendentis, ſervatâ proportione, longè copioſiorem quam ad reliquas partes futuram eſſe.

Diverſa partium conformatio, diſſimilis nexus, poſitura, inæqualis ædificii denſitas, moles, officiorum varietas, diverſam ſane vaſorum amplitudinem, diſparemque numerum deſiderabant, quæ tamen in partibus tam æquabiliter diſpoſuit natura provida, ut pro edendis actionibus, certa ſymetriarum ratio, comparque machinamenti ſubſidium cuique obtigerint; hinc ſi amplior trun-

ci aortæ ſuperioris diameter (*a*) in maribus conſtituta fuerit, forſan ad copioſiorem lymphæ nervalis ſecretionem, quaſi quamdam exprobrationis cauſam promereri timuiſſet, capaciorem quoque in fæmellis, truncum deſcendentem, ad profluvii uterini fontes, liberalemque fœtus nutritionem determinavit; datá autem majori trunci deſcendentis amplitudine, major fluidi moles per ipſum fluxura eſt, quæ cum ad partes inferiores diſtribuenda ſit, uberiori rivulo ad genitales, & præſertim ad uterum derivabitur, ut potè cum ſi organa ad conceptionem, & menſtruationem exceperis, nulla alia in abdominali regione majori cruoris quantitate irroranda notari poſſint: ad eumdem finem capacitati trunci, reſpondet ramorum arterioſorum diameter, ſanguinem in conceptaculum uterinum exonerantium, qui cum datâ proportione canalibus arterioſis, per reliquas corporis partes diſperſis, uberiorem liquidorum quantitatem accipiant, ipſam pari rivulo dimittere debent; undè ſequitur ex poſtulato 1°. majorem ſanguinis copiam ad illud appulſuram eſſe.

Nec inſuper levioris momenti, habenda ſunt cruoris diſpendia, quæ graviditatis, & geſtationis tempore ad nutriendam incarceratam prolem, patitur mater, quæ adeò notabiliora ſunt, ut per novem menſes, perpenſis originis noſtræ rudimentis, ad majorem quam toto vitæ decurſu molem fœtus aſſurgat; quo enim artificio? quàve peculiari Mechanicâ? Tantus ſanguinis in cavitate uterinâ theſaurus, niſi patentiora & numeroſiora canalium oſcula, humorem copioſiori

(*a*) *Pitcarn. Freind.*

& inexhauſto rivulo in ipſam exonerarent.

PROPOSITIO VII.

Cæteris paribus, & ſolo habito reſpectu ad ſitum, & diſpoſitionem Vaſorum; momentum Sanguinis in Ductus uterinos, quam in reliquos majus eſſe.

Creſcit & intenditur, fluidorum per uterina vaſa decurrentium actio, non ſolum ex majori quantitate capaciori diametro reſpondente; ut præcedenti probatum fuit propoſitione; verum etiam ex innato ſitu canalium; reſpectu horiſontis perpendiculari, cujus momentum ex altitudine columnæ ſuper incumbentis ex poſtulato 4°. æſtimandum eſt, adeò ut ſanguis per uterina vaſa circulans, æquali vi, parique preſſione, ipſorum diſtentionem & ampliationem urgeat, ac univerſa cruoris columna, ab aortæ deſcendentis trunco ad memoratos uſque ductus protenſa; hinc ſanè forſan ratio, cur Menſtruum ſanguinem bruta non profundant (a) ſi exceperis ſimiam, quæ ex arterioſorum ramorum perpendiculari diſpoſitione pa-

(a) *Freind.*

riter ut fœminæ purgatur, neque tamen uti ſentit citatus Author, vel ut omnes huc uſque credidere, reliqua animalia ætatis florem conſecuta, in eodem ſtatu permanent, ità ut additionis, & evacuationis eâdem datâ proportione, nullus inducatur liquidorum exceſſus, quo uterina purgatio cieri poſſit; cum in omnibus brutis, nullo excepto, vera cumuletur humorum redundantia; non quidem per uteri ductus ut potè horiſonti parallelos, & conſequenter non magis ampliatos diffundenda, ſed quæ pro varia animantium ſpecie, modo præcipitis curſus, aut frequentis coitus diſpendio, nunc urinâ turbidâ, copioſiori, lacteâ, interdum præſcriptâ inædiâ; aut impreſſo à naturâ ciborum faſtidio, diſcuti ſolet, quod præſertim in canibus, ſæpiùs obſervavi.

PROPOSITIO VIII.

Reſiſtentiam cruori ex Uterino conceptaculo redeunti oblatam, quam ex reliquis partibus notabiliorem eſſe.

Si uberior liquidi quantitas ex ampliori uterinarum arteriarum Diametro, & preſſio perpendicularis ex ipſarum ſitu orta; cum iis quæ jam de canalium ambagibus; ac flexuris in deſcriptione Anatomicâ ſupra retulimus; conferantur quam

maximam ſanguini ex uterinis vaſis redeunti offerri reſiſtentiam evidenter patebit, quo etenim magis incurvantur; & intorquentur vaſa, ſeu quo magis fluidorũ directioni ſunt oppoſita, eo quidem augenda eſt reſiſtentia cum habitâ ad eam proportione liquidum diverſis tubulorum angulis allidens motum deperdat: Multiplicantur adhuc cruoris reditui impedimenta ex liquidi propellendi columnâ; quæ cum ſequatur rationem longitudinis tubi; major in inflexo; quam in recto futura eſt, quippe longiora vaſa plus ſanguinis intrá latera excipere debent.

COROLLARIUM I.

Inferes 1° Reſiſtentiam ſanguini redeunti oppoſitam túm ex quantitate cruoris, túm gravitatis niſu, túm longitudine columnæ æſtimandam eſſe atque proinde compoſitam utrorumque rationem habere.

COROLLARIUM II.

Inferes 2° Uterina vaſa cœteris corporis canalibus magis dilatanda & amplianda fore; ut pote cum majus fluidorum momentum experiantur, repetendum ex majori quantitate ſanguinis ex poſtulato 1°. ex altitudine columnæ ſuperincumbentis ex poſtulato 4° ex reſiſtentiâ ſecundum axem vaſis effluxuro ex poſtulato 5°. Si igitur liquidorum moles; in uterinis potiús quam in aliis vaſis augeatur; ut ex propoſitione 1. altior ſit columna ſanguinis ut ex 2. & tandem ut ex 3. colligendũ eſt; major ipſi per venas redituro offeratur reſiſtentia, evidens eſt vim fluidorum in uterinos quam

in reliquos tubulos majorem eſſe, cum in triplicatâ ratione cauſarum jam memoratarum increverit.

PROPOSITIO IX.

Debilitatem Vaſorum Uterinorum demonſtrare.

Unica particularis eruenda cauſa ſupereſt, remiſſior nempe arteriarum ſanguinearum & lymphaticarum uterinarum reactio, quæ èx ſequenti rationum momento facili marte evidenter deducetur.

1°. Omnia corporis noſtri vaſcula ita invicem junguntur & copulantur, aut ſolidis partibus jacent, ut vel ſibimetipſis mutuas fulcimenti operas præſtent, aut quaſi dimidiam accepti liquidorum impetùs partem ſubſtratis organis communicent. Hinc fit ut diverſa capillamenta textu debiliora, vitalique caloris foco diſſita artificioſo naturæ conſilio prope partes ſolidas collocata fuerint, quæ certam opponendo reſiſtentiam fluidorū impetum, ipſorumque vim compreſſivam, quibus periculoſa quidem vaſorum dilatatio concitata fuiſſet, infringunt & obtundunt: Etenim vel interius diſſeminantur capillares rami, tuncque præſto adeſt amicabilis vicinorum vaſorum nexus vel exteriùs jacent, tuncque variis tendineis funibus, oſſeiſque columellis fulciuntur. Uterina autem vaſa ſolis viribus, & peculiari ſorti com-

miſſa, nec viciniorem ſolidam partem, aut lacertoſam fibrarum ſeriem obtinent, quibus aucto fluidorum momento, & impendenti dilatatione aut ſolutione, ullum præſidii auxiliivè genus ex vicinis mutuari queant.

2° Non ſolùm vario ſolidarum partium fulcimento tutantur & muniuntur debiliores capillares rami, verum etiam propriâ vi reſiſtunt, diverſiſque fluidorum motibus æquilibrantur, filamentis tenuiſſimis, albicantibus, quibus omnia vaſa conflari, & efformari neminem latet, quæque ipſorum vim ſyſtalticam, elaterem, ſeu virtutem elaſticam conſtituunt: hæc autem filamenta proprio humore irrorantur, & madefiunt, aliter brevi exſiccata ad quemlibet dilatationis, & conſtrictionis niſum prorſùs ineptâ evaderent, quod ſi quâcumque de causâ naturali, vel inſolitâ, copioſiori ſucco imbuantur, relaxabitur ipſorum contextus, parique proportione remiſſo elaterio appellentibus fluidis minùs reluctabuntur; quod potiſſimũ obſervatur in internâ uteri ſuperficie, ſeu vaſis ex quibus inſtruitur, quæ undequaque diffuſis lymphæ rivulis continuò ſtillantibus, madent & relaxantur.

3° Conſuluit natura provida faciliori liquidorum contra proprium pondus aſcendentium reditui, in omnibus vaſis reducentibus ordinando columnas membranaceas ſatis extenſas variiſque ſpatiis diviſas, quæ liquidorum molem ſublevando, projectili faverent ipſorum motui, ſoloſque excepit uterinos venoſos ductus, eo quidem fine, ut memorato adminiculo orbati leviorem reſiſtentiam opponerent, fluidiſque appellentibus facilius diſtenderentur.

4° Demùm brevi extinctus, aut ſaltem interruptus fuiſſet humorum circuitus, ſi reciprocâ tan-

tùm cordis motione, vel alternato arteriarum niſu acti & propulſi, fuiſſent; etenim in quibuſdam organis tam implicitus eſt vaſorum ordo, tam extenſa & contorta divaricatio, ut ad ultimos ſurculorum fines, ſolemnis primariæ anthliæ motus vix ſui præbeat indicia, hinc vectes hypomochlia præla, aliæque machinamentorum ſpecies in partibus diſſeminata fuere, ut ſegnior progreſſivus fluidorum motus urgeretur, eaque ad determinata organa circumſcriptis temporis limitibus impelli poſſent. Muſculi autem ad tales potentias, imò gravioris momenti reducendi ſunt, cùm ex omnium conſenſu torpenti humorum circuitui potentius calcar addat iterata ipſorum contractio; quos tamen ex ambitu uterino ſapienter removit machinæ author, ut ipſius vaſa minus preſſa facilius accedente copioſiori humorum mole vincerentur.

PROPOSITIO X.

Lymphaticos uteri ductus leviorem fluidis appellentibus opponere reſiſtentiam, & conſequenter præ cæteris ampliandos fore.

Hujus Propoſitionis veritas ex præcedentibus apertè demonſtrari poteſt, ſi quidem capillamento-

rum debilitatem, quâ minus liquidorum momento obſiſtunt ex quadruplici causâ deducendam eſſe mox probavimus, undè ſi arteriæ venæque lymphaticæ nullum ſibi in capacitate uterinâ fulcimenti præſidium vindicent, ultimique ipſarum rami omni membranarum generè denudati in interiori ſubſtantiâ terminentur, ut ex Deſcriptione Anatomicâ patet, ſi copioſiori, & aſſiduo ſtillante ſucco madeat, & irroretur illud conceptaculum, ut ex Poſtulato 9° p. 23. Colligendum eſt, ſi tandem defecerint in tubulis reducentibus valvulæ, & procul extet diſpoſita muſculorũ turba, ut ex cultro Anatomico, partiumqûe ſitu confirmatur, evidenter ſequitur uterina vaſa liquidorum niſu facilius vinci, & conſequenter advento plethoræ orgaſmo præ cœteris magis dilatanda & amplianda fore.

COROLLARIUM I.

Inferes 1°. Uterinorum capillamentorum debilitatem non ſemper æqualem eſſe, quamquam ex quibuſdam cauſis in eodem ferè actionis gradu remanentibus dependeat, ſed eam potiſſimum túm nativæ filamentorum laxitati, túm copiæ ſucci, quo imbuuntur & relaxantur, proportionatam eſſe.

COROLLARIUM II.

Inferes 2° Quantitatem cruoris tempore menſtruorum ex uterinis ductibus dimanantem, ex oſculorum dilatatione æſtimandam eſſe, cum cœteris paribus intra datum tempus uberior fluidi moles per ampliorem tubi diametrum, parcior verò per minorem effluxerit.

CAPUT IV.

De Mechanicâ, mutuoque concurſu omnium cauſarum menſtrua producentium.

Hactenus Ariadneo tanquam filo ducti implicita uterini labyrinthi diverticula non infido pede proculcavimus, cum lymphaticorum ductuum uteri ſubſtantiam perreptantium nondum detecta expanſio, nec non menſtrui fluxus cauſarum antecedentium exiſtentia haud infeliciter comprobatæ fuerint. Nùnc vero ut propoſito ſcopo ſatisfaciamus, ipſarum Mechanicam, & agendi modum ſcrutari non abs re erit, quod duplici propoſitione expedire ſuſcipimus.

PROPOSITIO I.

Actionem & Mechanicam cauſarum exponere.

Quælibet ex cauſis ſuprâ aſſignatis in quantũvis ſũmo virium gradu conſtituta, menſtruæ purgationis fontes nequaquam aperire poteſt, eas omnes con-

jungi& ſimul uniri neceſſum fuit,ut lymphaticorum & emiſſariorum uterinorum diameter ſufficienter ampliaretur, eo modo quo purpuream cruoris partem ex arterioſis canaliculis haurire poſſent; etenim actionem ſanguinis lateralem ex altitudine columnæ primario dependentem, cum vaſorum flexuris, & longitudine etiam junctam, ad Catameniorum evacuationem moliendam prorſùs imparem judicamus; ut pote cum inſit ſanguinis momentum ab æquali altitudine columnæ oriundum nec tamen fluxus urgeatur, imò ex adverſo minuatur quandoque preſſionis perpendicularis niſus ut in decumbentibus obſervare eſt, parique tamen rivulo menſtrua effundantur, nec inſuper majori fundamento deviationem illam globulorum purpureorum concitatura eſt levior reſiſtentia, ex parte tubulorum uterinorum oppoſita, cum hæc præviam tantùm notet ſolidorum diſpoſitionem, cujus ratione appellentibus fluidis minus reluctantur, eaque demùm non multúm diverſam omni tempore totoque vitæ decurſu debilitatis proportionem ſervaverint, quin tamen menſtrualis cruor irrequieto, & aſſiduo fluxu erumpat; inde conſequens eſt ultimam hanc ce cauſam, ſicut & priorem, viribus etiam junctis, uterina emiſſaria non ſufficienter dilataturas, ut in ipſa rubicundior ſanguinis pars deduci; atque ſejunctis, & ampliatis vaſculorum oſtiolis dimanare poſſet, altera in ſubſidium vocanda eſt cauſa, quæ non ſolum lymphaticos ductus, ultimâ vice perrumpere queat, verum etiam certis temporibus in actum deducatur, ut ex inde incertæ Catameniorum periodi conſtituantur, ac determinentur.

Plethoram autem huic officio ſolum comparem

eſſe demonſtravimus, non quod peculiari genio, vel innatâ ſolertiâ in uterinos, potiùſquam in cæteros tubulos vires exerat, ſed quia jam prædictæ cauſæ particulares notabiliorem actionem, potentiùſque momentum ità ſtatuant, ut eâ adventâ, quaſi dato impetûs ſigno omnes ſimul concurrerint ad effuſionem menſtruam ſequenti modo concitandam.

Ut primum igitur juvencula præſtitutos à naturâ incrementi limites attigerit, adeo ut vaſa juxta nonnullos ampliùs dilatari, diſtendi, ac elongari; vel ſecundum alios ſucci nutritii ad corporis augmentum impendi nequeant, ità creſcere debet liquidorum moles, ut exindè in tubulis ſanguiferis congerantur, & cumulentur, ſeu ut loqui amant, vera plethora oriunda ſit. Non diſpari autem modo ac torrentium concurſu, diſperſorumque rivulorum connubio augetur fluminis aquea moles, quæ ſemper versùs debiliorem partem tumidos fluctus urget, aut aggeribus undique oppoſitis per apertos campos effunditur; ſic pariter dum ita creverunt undæ ſanguineæ, ut naturalem vaſorum capacitatem ſuperaverint, aſſiduoque cordis ictu per truncum aortæ ad minores illius arteriæ propagines, indeque continuatâ ductuum ſerie ad uterinas arterias uberiori copiâ, & velociori impetu propellantur, eas magis ampliandas & dilatandas fore colligi poteſt ex Corollario 2°. cum momentum cruoris in ipſas creſcat in compoſitâ ratione quantitatis, gravitatis, & longitudinis columnarum; quâ autem proportione magis dilatantur & diſtenduntur uterinæ arteriæ, eâdem quoque panduntur & reſerantur orificiâ ductuum lymphaticorum ex ipſis prodeuntium, quorum amplitudo ſequitur ratio-

nem directam vis lateralis, quique ſanguine arteriosi canalis celeriter ſemper acto, viæque neſcio magis ac magis diducti lymphaticam & rubicundam cruoris partem perturbatis, & agitatis fluctibus accepturi ſunt: dúm autem globuli purpurei in ramis arterioſis ſubſiſtentes ſemel in lymphatica vaſa deviarunt, inaſſuetâ mole, imparique copia ea diſtendunt, majoremque ipſorum reactionem ità proritant, ut perſeverante eâdem causâ brevi ad ſurculos minores ex primariis lymphaticis truncis enatos, ſeu ad emiſſaria uterina pervenerint quæ pari mechanicâ dilatata, imò continuatò columnarum ordine globulis purpureis turgida, eos tandem in uterinum gurgitem in quem hiant & terminantur exonerabunt, qui promiſcuè cum lymphaticis partibus effuſi in cavitate retinentur, & colliguntur, donec per orificium ad vaginam protenſum emittantur, cruentumque catameniorum ſtillicidium producant.

Quamquam pro naturali Menſtrui fluxûs ſcaturigine uterum nominemus, non tamen lymphaticos ductus ad vaginam tendentes huic effuſioni comparatos eſſe diffitemur, ſi quidem primis obſtructis, aut occluſis, plethoricum onus per iſtos quandòque natura excutit, ut in prægnantibus obſervatur, & ut fama eſt, in nonnullis præcipiti funere, & inſtante menſtruali fluxu oppreſſis, in quibus vagina copioſo ſanguine madida multumque cruentata depreſienſa fuit, dùm parcior liquoris purpurei quantitas in uteri ſepulchro prodierit: verum hæc quamvis communiori experientiâ probarentur, propoſitum & opinionem non convellunt, cum jam priùs eadem concretionis ſpecies, æqualis renitentia ſimiliſque color in propioribus vaginæ ac in uteri vaſis cadaveris. In

ſecundâ obſervatione explorati deprehenſa fuerint; eundemque vaſorum apparatum, paremque fabricam cultro anatomico, authorumque fide edocti vaginæ lubenter concedamus, in quo ſanè demiranda venit opificis, induſtria qui duplicem viam ordinavit, ut una fortè imperviâ per liberam menſtruus ſanguis ſemper ſecedere poſſet.

PROPOSITIO II.

Diverſæ menſtruorum originis variæque ipſorum quantitatis cauſas determinare.

Quæcumque ſint ſolidorum compages, & fabrica, fluidorumque decurrentium impetus, nunquàm inſtabit menſtruum profluvium, quin prius lymphaticorum ductuum emiſſariorumque uterinorum oſcula ad rubicundæ partis ingreſſum ſufficienter dilatata, & ampliata fuerint, verùm plethora quam jam præcipuum cruentatæ effuſionis inſtrumentum aſſignavimus, ex tam variâ aliunde fonte efficaciam, & virtutem repetit, ut non mirum videbitur antecedentes menſtruorum cauſas, quamvis ſemper certum ſortiantur effectum, non tamen æquali ſucceſſu acturas, proindeque menſtruum ſanguinem multiplici rationum momento diverſo tempore exiturum.

1°. Humorum exſuperantia, quæ vaſorum omnium, ſimulque uterinorum majorem diſtentionem,

& ampliationem determinat, conferenda eſt cum nativâ fluidorum mole, quæ cum reſpondeat innatæ ductuum capacitati eam diverſam futuram eſſe, ex eo ipſo innoteſcet, quod non ſolum in ſubjectis variæ, verum etiam æqualis molis diſcrepet canalium amplitudo. Hinc macilentæ quibus amplior vaſorum diameter obtigit, uberioremque fluidorum copiam retinent, ut ex experimentis charleton, largiorique ſanguinis profluvio evidenter comprobatur, catamænia citiùs fundent, cum ex copioſiori ſucco pateat uterina vaſa citiùs oppreſſum iri; neque hic tacenda eſt geminarum urbis puellarum hiſtoria, in quibus peculiari naturæ novitate, longè multùm ante pubertatis fervorem, verſus nempè quintum annum prodiere menſes, quin tamen ullum incrementi, vel ſanitatis detrimentum præmaturo fluxu paſſæ fuerint.

2°. Maturiori vel lentæ evacuationi favent alimentorum quantitas, ipſorumque natura, cum etenim nonniſi ex chiloſo commeatu creſcat humorum maſſa, quo major ſucci copia in ſanguinis rivos confluet eo quoque augebitur, & intendetur ipſius momentum, quo promptior ciebitur oſculorum dilatatio, & conſequenter ſtillicidium uterinum, hinc voraces puellæ ingluviei deditæ citiùs reliquis purgabuntur, quod pariter ſuccedet ſi aſſumpta volatilia ſulphureave extiterint, quæ ſanguinem eodem partium genere divitem aſſimilando majorem canalium diſtentionem concitabunt. Sic in Perſide natæ quamdam epotantes liquoris ſpeciem tchoriè (*a*) dicti, quo accenduntur ſummoperè præcordia, & in furorem quaſi adiguntur, ſubitaneam patiuntur evacuationem, imò & quotidiè obſervatur quod

(a) *Chardin, Voyage de Perſe, tom. 4. chap. 17.*

regionis noſtræ incolæ immoderato liquidorum ardentium potu naturale ſtillicidium accelerent, & antevertant.

3°. Celeriùs inſuper creſcit fluidorum maſſa ex minori effluviorum inſenſilium diſpendio cùm quod per vaſa cutanea diffunde ne erat intùs retineatur, adeoque otioſæ, deſides, levioribuſque laboribus exercitæ maturiùs ſanguinem profundent.

4°. At qui continuo fluida noſtra agitat, ſolemnem menſtruorum fluxum commutare valet, non enim ſanguinis momentum ex ipſius copiâ unice repetendum, verùm etiàm ex rarefactionis & excandeſcentiæ niſu, qui Plethoræ veræ æquiparat, ipſiuſque vices gerit; ſive etenim cruoris moleculæ attritæ, & quocumque modo comminutæ majus ſpatium occupent canalium parietes perinde diſtendentur, & dilatabuntur, ac ſi aucta eſſet humorum moles, hinc fit ut quæ in calidioribus oris commorantur præmaturè concepto fluidorum orgaſmo citiorem purgationem patiantur.

5°. Ex adverſo quæ minorem cruoris copiam ex anguſtiori vaſorum diametro oriundam obtinent, quæ aquoſioribus veſcuntur cibis igneum ſanguinis calorem extinguentibus, ut obeſæ, pingues, vel lacticiniis enutritæ tardiùs pubeſcunt, idem eſto judicum de iis in quibus adeſt maximus fluidorum lentor, ut in Septentrionalium plagarum incolis obſervatur, quarum humores ad ſufficientem attritionem, & excandeſcentiam, quæ emiſſariorum dilatationem promovere queant, tardiùs perducuntur.

6°. Si multum in femellis erumpentium, & ceſſantium menſtruorum tempeſtas variet, non minor in quantitate emiſsâ diverſitas obſervatur. Hæc etenim ad humorem ſuperfluum evacuandum conſtituta fuit, adeòque ceſſante plethorâ, quam jam inſta-

bilem probavimus, ſanguis pari momento ad uterina vaſa derivari non poterit, ſemotoque obice per arterioſum canalem liberè fluet, quin ullatenùs agat in lymphaticos ductus, qui appulſis globulis exhauſti, pacatumque liquidum accipientes levius decurrenti fluido diſtendentur, ſyſtalticam vim renovabunt, orificiaque dilatata conſtringent, non ampliùs aperienda niſi accedente denuò eâ humorum quantitate, quæ primæ emiſſariorum uterinorum dilatationi natales præbuit.

COROLLARIUM I.

Sequitur 1°. Ex iiſdem ferè cauſis originis, & quantitatis diverſitatem deducendam eſſe, cum à jam ſuprà memoratis ad maturiorem, & diuturniorem ampliationem uterina vaſa urgeantur.

COROLLARIUM II.

Sequitur 2°. Statutâ plethorâ exſuperanti liquidorum quantitate ultrà naturalem vaſorum diſtenſionem, ſi in ſubjecto diverſæ, imò & æqualis magnitudinis vaſa dupplo capaciora extiterint, dupplo majorem colligi poſſe cruoris copiam, quin tamen notabiliora prodeant plethoræ indicia, & conſequenter promptiori, & copioſiori rivulo menſtrua profundantur.

COROLLARIUM III.

Sequitur 3°. Additam liquidi copiam vaſorum amplitudini ſemper reſpondere, utque plethora in eodem gradu ſupervenerit, quantitates humorum additas, ſicut primarias in vaſis coërcitas æqualiter inter ſe habendas neceſſum eſſe.

COROLLARIUM IV.

Inferes tandem fœminas ex diverſo profluvio æquale emolumentum percepturas, modo ſanguis qui effunditur rationem directam nativæ humorum molis ſequatur.

CAPUT ULTIMUM.

De Præſagiis, Conjunctis & Succedentibus.

PRÆSAGIA VENTURI FLUXUS.

GESTIT, ridetque virgo cujus pudibunda ſanguineis rivulis numquam irrorata fuere, ſæpiùſque futuri inſcia, medio amicarum choro exultans, nova florentis juventæ, blandientiſque formæ in publicum prodeundi lenocinia ſolo deſiderio inflammatur; ſed incautam arripit improviſus horripilationis ſenſus, quem ſequitur levior corporis incaleſcentia, ſubitaneus inſtat virium languor, tremunt, & gravantur membra, univerſalis, & acutus, præſertim in lumbis dolor invadit, urget nauſea, neque vomitu ſedatur, moleſtat cephalalgia, perit oculorum fulgor, ipſorum limbus cruore nigricante ſuffunditur, roſeus genarum color in lilia mutatur, pallet facies, liveſcunt ora, collum ſternitur, intumeſcunt, dolentque mammæ opprimuntur præcordia, interpolatus trahitur ſpiritus,

ſuſpiria mittit virgo, iliaque pulſat ſingultibus, palpitat cor, debilis eſt pulſus, extrema frigent, additur ephidroſis, tamque altiùs animo impreſſis metu, viriumque imbecillitate languet adoleſcentula; ut illam exanimem, brevique perituram crederes; jamque ultimum adeſt naturæ, conamen nondum apertos uterini conceptaculi fontes perrumpentis.

Interdum diſſimili, ne dicam oppoſito ſignorum ordine menſtrua nuntiari & declarari ſolent, in quibuſdam enim intenſior per corpus diffunditur calor, crebriùs micant arteriæ, pulſus durior, & plenior deprehenditur, ſcintillant oculi, accenditur Facies, inardeſcunt genæ, deurunt labia, accelelatur reſpiratio, tumultuantur ſpiritus, fervet imaginatio, quatiuntur veneris fibræ, ardent genitalia, ſpirituoſo liquido rareſcunt, tument, tamque acriter cythereis ſpiculis ſtimulantur, ut procorum deſideriis obſequi, & indulgere non recuſent, imò ſpecie, famâque parum motæ furtivum amorem non meditentur, libidinoſoque æſtui vela dantes, ſpretis tædio, & eventu graviditatis, puerperii, mares inſequi, & ad concubitum ſollicitare non erubeſcant; interim copioſo ſanguine diſtenduntur partes, fibræ vaſculorum divulſæ præſertim coxarum dolorem cient, contractioni muſculorum reluctatur plethorica moles, impeditur ex partibus inferioribus lymphatici purpureique liquidi reditus, intumeſcunt pedes, Phlogoſi tentatur uterus, anxia, & irrequieta manet, donec primæ Catamæniorum undæ eruperint.

Variant autem narrata ſymptomata pro diverſo Femellarum ſtatu, nativâ temperiè, fluidorum indole, neque ſemper inſtat ante profluvium æqualis, & numeroſa ipſorum caterva, modo etenim plura, modo pauciora deprehenduntur, interdum

graviter ſæviunt, quandoque remiſſiùs urgent, verùm illa quæcumque fuerint jam expoſitam cauſarum ſeriem tam luculenter evincunt, ut omnium ſymptomatum explicatio ex ipſarum concurſu, & efficaciâ tanquam ex unico fonte deducetur.

1°. Invadit horripilationis ſenſus ex ultimis plethoræ fluctibus oriundus, qui tùm membranoſis filamentis quamdam diſtentionis vim inferunt, vel æqualem cruoris per capillamenta diſtributionem retardant; hunc autem excipient major corporis incaleſcentia, & calor, cum irritatis & infarctis quibuſdam vaſis reliqua quaſi in mutui auxilii ſignum fortiùs cebriùſque micare inceperint, quorum reactio liquidorum fluxum accelerabit, quæ proinde magis exagitata, perniciorique curſu per orbem circulationis acta vorticoſum motum illum quem nominare ſolent à centro ad peripheriam faciliùs concipient, partibuſque communicabunt.

2°. Tumidæ & agitatæ ſanguinis undæ per vaſa corporis rapide ferri nequeunt quin inſolitam majoremque dilatationem urgeant, quæ ſi ſolidorum niſum ſuperaverit, in ipſis ſtagnabunt & congerentur, unde varia partium gravitas, laſſitudo præſertim in uteri confiniis, cum ibí majus inſit plethoræ momentum, quod ſi ad certos fines pervenerit, ſtuporem ex intercepto purpurei, & ſpirituoſi fluidi transfluxu deducendum concitabit.

3°. Diductis, & ampliatis à cruore ſtagnante canalium lateribus, pari proportione divellentur, & comprimentur intertexta nervoſa vaſcula, hinc violentus ciebitur ſpirituum verſus cerebrum refluxus, & conſequenter dolor, acerbior quidem in lumbis, coxis, quæ cum eandem ac uterus nervorum originem mutuentur, majorem quoque ex ſympathiæ legibus plethorici ſanguinis impetum ſuſtinebunt.

4°. Accedunt Anorexia, faſtidium, neque pigritia ſtomachi nauſeantis condimentis erigi poteſt ex turgeſcentiâ canaliculorum gaſtricorum, & fibrillarum nervearum compreſſione, quæ ſolitam fluidi ſtomachalis ſecretionem imminuunt, ſenſiferoſque famis refluxus cohibent.

5°. Menſtruatæ frequenter capitis dolore conflictantur non ſolum ob debilitatem, multipliceſque vaſorum cerebri mæandros, quibus liquidorum momento leviùs obſiſtunt, verùm etiam ex impedito ſanguinis tractu per uterinos ramos gaſtricos, epiploïcos, meſentericos, iliacos, qui ex objecto repagulo per truncum aſcendentem, ſurculoſque exinde natos uberiùs determinatus in diverſis capitis partibus, modo in pericranio, modo in meningibus hæret, & cumulatur, unde externus, vel internus dolor.

6°. Truncis autem ſuperioribus ſemel cruore turgidis proportionata ſuccedet in propaginibus congeſtio, quâ diſtendentur venulæ, nervi, per interiorem, & externam oculi partem diſſeminati, prementurque folliculi membranacei glandulæ innominatæ, unde inertes oculi, & alternati lacrymarum rivi.

7°. Si liquida ad vitalem regionem copioſiùs affluxerint, moramque longiorem trahant in peumonicis rubis; ſolitum arctabitur veſicularum ſpatium, fortiùs diſtrahentur nerveæ pulmonum fibræ, ſanguiniſque reditus ad originem intercipietur, hinc reſpiratio laborioſa, dolens, palpitatio gravior, aut levior, prout magis inæquali, & lentiori greſſu cordis ſacculis cruor offeretur.

8°. Impeditâ primariâ humani corporis anthliâ ad univerſos ex ipsâ ſololeſcentes canales minor liquidi copia urgebitur, cujus defectu nativa villorum

motricium

motricium tenſio, repletio; rigiditas penitùs re-mittentur, ſolituſque peribit nervalis lymphæ fluxus, undè viriùm lapſus, qui cum pulſu debili, parvo conjungetur; cùm reliquiæ vitalis motus; parciorem, languideque propulſam fluidi columnam vibrent in truncos arterioſos, quæ ipſorum tunicas extrorsùm ferre non poterit.

9°. In quibuſdam verò nec vires, animuſque deſunt econtra accenditur febrilis æſtus, vividèque inſtant laſcivi amoris imagines, quæ ex notabiliùs auctis quantitate, & velocitate, ſolidorum actionem acriùs ſtimulantibus, ſimulque ferventi ſanguinis excandeſcentiâ, fibras cerebri intenſiùs quatiente, repetenda arbitramur.

10°. Genitalia ſummoperè ardent, libidinoſoque pruritu percelluntur, ob copioſum, calentem, ex amatoriis fibris miſſum ſpiritum, qui diverſa pudendi conceptacula replendo, oppreſſiunculis, & affrictionibus titillando, veneream convulſionem ciet; hincque nata amplexus deſideria proritat, atque ſuccendit.

11°. Tandem ſenſiliores ex naturâ uteri, viciniæque partes, ferventi ſanguine turgere, ſpirituſoque fluido, plenius irrorari & agitari nequeunt; quin premantur, & conſtringantur ergaſtula ſeminalia, quæ jam æſtuantem humorem liberalius fundere debent, unde proluvium voluptuoſæ pluviæ.

CONJUNCTA.

Plura etiam cum ſtillicidio menſtrui ſanguinis ſociantur ſymptomata, quæ pro quantitate, & naturâ catamæniorum, diverſa eſſe ſolent; quorum frequentiora tantùm explanare decrevimus.

1°. Aſſiduus dolor uterinam regionem obſidet;

ob continuum ſtagnantis liquidi in hypogaſtricis, & ſpermaticis ramis momentum, imò jugem globulorum purpureorum arietationem in lymphatica vaſa, quæ nervoſos tubulos fortiùs divellunt & comprimunt; ſæpiùs autem ad vicinas partes, inteſtina, hepar, lien, meſenterium, veſicam ſerpit ille moleſtæ ſentationis ſenſus, vel ex communi nervorum propaginè, aut trunci cæliaci infarctu, qui per meſentericos, hepaticos, & ſplenicos ramos brevi diffunditur.

2°. Sudor qui primis menſtruorum temporibus apparet, vehementem fluidorum impetum in vaſa cutis extrema pro causâ agnoſcit, quæ per ſpiracula cutanea facilè dimitti poſſunt, utpote cum præviâ attritione, ad exhalationem præparata fuerint.

3°. Perſeverante mutuâ liquidorum in ſolida, & ſolidorum in liquida actione, quâ aquoſiores cruoris particulæ ab aliis ſeparatæ, per vaſorum poros uberiori rivulo copioſiſque effluviis difflantur, ſalivalis humor parciori copiâ, craſſioribuſque fœtus moleculis ori, faucibuſque ſuppeditabitur, unde prædicti organi ariditas, fibrillarum nervearum excorrugatio, & conſequenter ſitis.

4°. Liquida noſtra diutiùs agitari, & inordinato ſolidorum motu per orbem circulationis propelli nequeunt, quin diverſæ ſanguinis partes ſimul confuſæ ſecretoriis conceptaculis promiſcu offerantur, hinc turbidæ, extraneiſque moleculis inquinatæ fluidorum derivationes, quæſi ad tubulos uriniferos deducantur, urina lactea, ferruginea, viridis, rubra, vinea, furfuracea excernetur; ad gaſtricos verò vapidus, effœtus, ad alimentorum coctionem prorsùs impar ſtomachalis humor ſeparabitur; idem eſto judicium de aliis recrementis.

5°. Pulſus priùs, creber, validus, mutatur in lentum, parvum, rarum, & inæqualem, ex eo quod moles movendorum liquidorum, vires fibrarum morticinum cordis, arteriarum, villorumque tendineorum niſum exceſſerit; hæc etenim in corticalibus, medulloſis cerebri canaliculis, vel in vaſis coronariis ſtagnantia, hoſpitantes in nervis ſpiritus ſegniùs propellunt, aut coarctatâ fibrarum cardiacarum cavitate, ſolito ipſorum influxui obſtant; unde tarda, inæqualis, parva ſanguinis in truncos arterioſos vibratio, adde quod ex intenſiori plethorâ ſtrictior ſubſequantur globulorum cohærentia, denſitas, quæ jam impotenti ſolidorum actioni magis reluctantur.

6°. Redundante in uterinis vaſis ſanguinis copiâ, ſolitum ipſius in venam cavam præpedietur influvium, collectiſque fluidis ità diſtendetur, natâque leviore phlogoſi augebitur uteri moles, ut venæ iliacæ comprimantur, appulſamque ex arteriis congeneribus purpurei fluidi quantitatem reducere nequeant, unde pedum, crurum intumeſcentia; quæ multùm inſuper juvabitur infirmorum canalium ſitu, in quibus ob graviorem fluidi ſuper-incumbentis columnam, proindequè majorem in latera vaſorum niſum difficiliòr, tardiorque debet eſſe liquidorum refluentium circuitus.

7°. Albicantes, aut leviter purpuratæ ſolent eſſe primæ ſtillicidii guttæ, ob lymphaticam partem ex uterinis emiſſariis primario dimanantem, cum etenim jam pleni ſupponantur lymphatici canales, purpurei globuli in ipſos adigi nequeunt, quin columnas fluidi contenti antrorsùm moveant, proindeque albicantes partes ex emiſſariorum oſtiolis priùs erumpant, quæ tamen in decurſu, intimiori, & confuſo, de novo ſubeuntium globulorum con-

nubio, vividiores, & rubicundiores nubeculas conſequuntur, ita ut nullis ſociatum albicantibus moleculis, purumque ſanguinem effundi judicares: eâdem plane ratione, impendenti catamæniorum fluentium fine, paulatim fuſcatur vividus ipſorum color, in roſeum, tandemque in pallidum penitùs convertitur, ob impeditum (remiſſis plethoræ fluctibus) globulorum ingreſſum in lymphatica vaſa, quæ ſolum humorem, quo turgent per ampliata, & adhuc diducta oſtiola aliquandiù fundunt.

Reliqua quæ jam narravimus ſigna, & quæ brevitatis causâ conſulto ſilemus facili marte ex theoriâ, adeòque ex vaſis nimis preſſis, impenſiùs dilatatis, liquidò purpureo copioſiore, ſtagnante, ſuffocato; in lymphatica vaſa propulſo, & ex iis ſtillante deduci poterunt.

SUCCEDENTIA.

Dum æquabili tenore, pacatiſque undis menſtrua fluunt, brevi fugit illa ſymptomatum cohors, priſtinus refloreſcit ardor, nativuſque honos fæmineo corpori redit, ceſſante enim fluidorum copiâ, remiſſo ipſorum momento, vaſiſque exhauſtis, naturalis ſolidorum viget actio, placiduſque renovatur ſanguinis circuitus, unde nulla in ſolidis turba, nulluſque in liquidis fervor, at ſi quâcumque de causâ internâ, vel externâ, ſanguinei rivuli avertantur, & per ſolita canalium oſtiola diffundi nequeant, tunc in commune cruoris oceanum refluentes, varia indiſcriminatim attingunt corporis receptacula, ibidemque collectis viribus, perruptiſque partium repagulis, qua datâ porta ruunt; ità ut menſtrua purgatio è ſtomacho per vomi-

tum (*a*) è mamillarum papillis (*b*) è gingivis (*c*) è dentis alveo (*d*) è palpebris (*e*) è crure (*f*) è pedibus (*g*) è pollice (*h*) ex hæmorrhoïdibus (*i*) è poris cutaneis (*l*) non ſemel eruperit; Molinettus, Ballonius, Riverius, aliique plurimi Autores, innumera commemorant exempla, quæ penè incredibiles à menſtruo ſanguine, ſulcatas fuiſſe vias, apertè demonſtrant, quin tamen fœminis, fæcunditatis virtus, ſanitatiſque theſaurus defuerint; quæ quidem phœnomena ſatius naturæ novitates quam errores nominanda ſunt.

Quod ſi plethoricus ſanguis imbecillitate machinæ ſuccumbentis, villorum laſſitudine, aut mole in uterinis ductibus aggeſtâ, per nulla corporis emiſſaria ſecedere poſſit, brevi ſequitur morborum iliâs, quæ pro diverſitate partium, varias quoque tragædiarum ſpecies agit, ſi enim ad capitolium, animæque ſedem determinetur ſuperfluus cruor, inſaniam, furorem, delirium maniacum, melancholicum, gravem capitis dolorem, oculorum gravitatem, vertiginem, epilepſiam, apoplexiam concitat; in præcordiis nimium congeſtus aſthma, dyſpnæam, tuſſim, labem hæmophtoïcam, phti-

(a) *Stalp. Cent.* 2. *Obſ.* 17. *lang. l.* 1. *Epiſt. Med.* 40.

(b) *Donat. l.* 1. *de Med. Hiſt mir. c.* 2.

(c) *Zacut. luſit. Prax. Med. adm. l.* 1.

(d) *Ronſſ. de primor. vit. hum. c.* 28.

(e) *Stalp. Cent.* 1. *Obſ. rar.* 19.

(f) *Rhod. Cent.* 3 *Obſ. Med.* 50.

(g) *T. Barth. Cent.* 1. *Hiſt. Anat.* 16.

(h) *Philoſ. tranſ. num.* 272.

(i) *Sennert. Prax. lib.* 3.

(l) *Dolæus* 636.

ſicam ; Abſceſſus ; tubercula ; cordis palpitationem, aſphixiam parit ; ſi in ventriculo, & inteſtinis reſtagnaverit, moleſtant ructus, borborigmi, anxietates præcordiorum, debilitant vomitus cruenti, tormina, alvi fluxus, bilioſi, ſanguinei, ichoroſi : ſi viſcera abdominalia ingurgitentur, urgent brevi totiùs corporis gravitas, icterus multiplex, hypocondriorum intumeſcentia, pathemata hiſterica, flatus, œdema partium inferiorum, crurum, ac pedum venarum varices, tabes hectica, marcor, ſudores ſpontanei, leucophlegmatia, hydrops, quibus lugenda ſanè miſellarum fœminarum conditio, quæ humani generis conſervatices, ipſiuſque deliciæ, præter tædia graviditatis, partus pericula, lactationis incommoda, adeo funeſtis ex ſuppreſſione catameniorum jactantur morborum eventibus, ut mirari ſubeat, quo pacto debilioris ſexus machina tot procellis oppugnata, tamdiù incolumis ſervari queat, citiùſque ad ultima fata non perducatur.

FINIS.

ERRATA.

P*Ag.* 6. *lineâ* 28. Scyathicas, *lege*, Scythicas.
Pag. 12. *lin.* 3. extitare, *leg.* extite e.
Pag. 28. *lin.* 19. dediucta, *leg.* deducta.
Pag. 59. *lin.* 6. diffunde nd, *leg.* diffundendum.